Philologische Untersuchun...

PHILOLOGISCHE UNTERSUCHUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

A. KIESSLING UND U. v. WILAMOWITZ-MOELLENDORFF.

ACHTES HEFT:

QUAESTIONES PHAETHONTEAE.

SCRIPSIT

GEORGIUS KNAACK.

BERLIN
WEIDMANNSCHE BUCHHANDLUNG
1886.

QUAESTIONES PHAETHONTEAE.

SCRIPSIT

GEORGIUS KNAACK.

BERLIN
WEIDMANNSCHE BUCHHANDLUNG
1886.

VIRO DOCTISSIMO

CAROLO ROBERT

GRATO ANIMO

D.D.D.

SCRIPTOR.

CAP. I.

DE PHAETHONTE HESIODEO.

De Phaethonte Hesiodeo cum alii aliter dixissent, tum nuper fuse disputavit C. Robertus Eratosth. catast. reliq. p. 214 ss. et Hermae vol. XVIII inde a p. 434. atque conlatis scholiis Strozzianis in Germanicum (p. 174, 6 ss. Br.) cum Hygini fabulis 152b et 154 id sane effecisse Robertum censeo, ut argumentum quale fuerit in mythographorum syntagmatis probe iam cognoscatur, sed quod ipsius Hesiodi argumentum expiscatum se esse arbitratur, me quidem adsentientem non habet. cuius viri docti sententiam ut refellam, testimonia in uno conspectu composita deinceps examinabo:

Schol. Strozz.:	Hyg. fab. 152b:
<Fluvius . . . supter cetum collocatus in caeli regione cernitur, ad quem sinister Orionis pes extenditur> ab *Arato* vel *Pherecyde* Eridanus qui et Padus esse putatur . . .	
Hesiodus autem dicit inter astra collocatum propter Phaethonta Solis et Clymenes filium, qui clam dicitur currum patris ascendisse, cumque a terra altius levaretur, prae timore in Eridanum fluvium qui et Padus cecidisse eumque percussum fulmine a Iove. omnia ardere coepisse caussaque extinguendi universos amnes immissos esse omneque mortalium	Phaethon Solis et Clymenes filius cum clam patris currum conscendisset et altius a terra esset elatus, prae timore decidit in flumen Eridanum. hunc Iuppiter cum fulmine percussisset, omnia ardere coeperunt. Iovis [ut omne genus mortalium cum caussa interficeret, simulavit se id velle extinguere] [1]) amnes undique irrigavit omneque genus mortalium

[1]) interpolatoris nugas uncis inclusi.

genus interiisse praeter Pyrrham et Deucalionem.

sorores quoque Phaethontis flentes in arbores populos versae fuisse, lacrimae quoque earum in electrum duratae dicuntur Heliadesque appellatae. ipsae autem nomina habuisse Merope Helie Aegle Lampetie Phoebe Aetherie Dioxippe.

Cygnus quoque rex Liguriae Phaethontis propinquus dum defleret et ille[2]) in cygnum conversus <est>. is quoque moriens flebile canit.

interiit praeter Pyrrham et Deucalionem. at sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant, in arbores populos commutatae sunt.

fab. 154 Phaethon *Hesiodi.*

[Phaethon Clymeni Solis filius et Meropes nymphae filius, quam Oceanitidem accepimus, cum indicio patris avum Solem cognovisset impetratis curribus male usus est. nam cum esset propius terram vectus, vicino igni omnia conflagrarunt et fulmine ictus in flumen Padum cecidit.] hic amnis a Graecis Eridanus dicitur, quem Pherecydes primus vocavit. [Indi autem, quod calore vicini ignis sanguis in atrum colorem versus est, nigri sunt facti] sorores autem Phaethontis dum interitum deflent fratris in arbores sunt populos versae. harum lacrimae, ut *Hesiodus* indicat, in electrum sunt duratae, Heliades tamen nominantur. sunt autem Merope Helie Aegle Lampetie Phoebe Aetherie Dioxippe.

Cygnus autem rex Liguriae qui fuit Phaethontis propinquus dum deflet propinquum in cygnum conversus est. is quoque moriens flebile canit.

Robertus totam narrationem praeter Pherecydis mentionem Hesiodeam esse opinatus[3]) singula dum perlustrat inprimis illud tanquam veteris poetae singulare premit, quod iuvenem prae timore in Eridanum cadentem faciat lapsumque demum Iovis fulmine percussum. nituntur haec verbis apud scholiastam Strozzianum .. *cumque a terra altius levaretur, prae timore in Eridanum fluvium .. cecidisse* **eumque** *percussum fulmine a Iove* et Hyginianis: *cum . . . altius e terra esset elatus, prae timore decidit in flumen Eridanum.* **hunc** *Iuppiter cum fulmine percussisset, omnia ardere*

[2]) scholiastam scripsisse puto *dum defleret illum.*

[3]) de Cycno dubitat R. num Hesiodus dixerit.

coeperunt. sed si grammaticam rationem spectas, haec duo pronomina *hunc* et *eum* eodem iure referre possis ad Eridanum, quem re vera fulminis divini participem fuisse abunde docet schol. Arat. 355 *λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύτου ποταμοῖο*] *καὶ γὰρ ἐκεραυνώθη μετασχὼν τοῦ κεραυνοῦ τοῦ Φαέθοντος· εἰς αὐτὸν γὰρ κατηνέχθη ὁ Φαέθων ὑπὸ Διὸς καταφλεχθεὶς διὰ τὸ ἐπιβῆναι τῷ τοῦ Ἡλίου ἅρματι.* itaque hac in re Hygini testimonio quod in utramque partem valet abstinendum erit. quod damnum resarcire me posse spero prolato altero testimonio adhuc neglecto. haec enim leguntur apud schol. Strozz. p. 185, 4 ss. (Breys.): *Phaethontem Solis et Clymenes filium esse dixerunt et quia paternos currus adfectans sibi atque mundo concremationis detrimenta conflaverit* [4]) *et a Iove fulmine percussus in Eridanum deciderit fluvium* — **sic Hesiodus refert** — *et a Sole patre inter sidera collocatus.* exscripta sunt ex scholiis Sangermanensibus (p. 228, 17 ss.), ubi tamen desunt verba *sic Hesiodus refert*, quae post Roberti disputationem (Erat. cat. p. 209) ex archetypo scholiorum Sangermanensium fluxisse mihi quidem constat. obverterit quispiam scholiastam Strozzianum, qui paullo ante Hygini narrationem exscripsisset, facile hinc Hesiodi mentionem potuisse supplere. at expectamus, si supplevisset, eum plane eadem rettulisse. quo modo vero fieri potuit, ut perversissimum illum rerum ordinem hic apte commutaverit? perversissimum ordinem dixi, qualem nunc apud Hyginum legimus. quis enim quaeso intellegat Phaethontem vix in currum patris sublatum subito prae timore decidisse, deinde cum nihil mali mundo fecisset fulmine percussum, denique hoc ipso fulmine incendium orbis terrarum factum esse? hanc fabularis historiae conformationem si sequimur, nulla iam culpa iuveni attribuitur — nisi quod currum conscendit — immo crimen defertur ad Iovem ipsum. nam iure quaesiveris, cur illum lapsum atque in fluvio iacentem fulmine tetigerit, non insidentem currui patris. mirum sane facinus, quod vereor ut quis explicare possit. nam quod inflammato Phaethontis Hesiodei corpore mundum sicuti Euripidei aerarium Meropis incensum esse speciose posuit Robertus (Herm. XVIII

[4]) cod. *conflixerit*, correxi ex G.

p. 439), Euripideum fulmine iam tactum esse oblitus est. sed ne nimium ex scholiasta Strozziano concludere videar, concedo verba quae antecedant redire ad Fulgentium (myth. I 15), reliqua vero compono cum Hygino de astron. II 42: *de quo* <sc. Phaethonte> *complures dixerunt, ut patris inscienter currum vectus incenderit terras, quo facto ab Iove fulmine percussus in Eridanum deciderit*[4a] *et a Sole inter sidera sit perlatus.* quem cum Robertus ipse attulerit, videat qua ratione narrationem contractam quidem sed planam atque perspicuam cum illa inconvenienti, quam auxilio scholii Strozziani ex duabus fabulis restituere conatus est, conciliare possit. tertium Hesiodi testem addit Platonem (Tim. p. 22[c]): *ὥς ποτε Φαέθων Ἡλίου παῖς τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας διὰ τὸ μὴ δυνατόν εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν τά τ' ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς διεφθάρη.* ne hic quidem cum fabularum scriptore concinit vereorque num apte adlatus sit, nam verba quae pressit Robertus *τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας* minime respondent Hyginianis *cum clam patris currum conscendisset.* itaque Platonem si missum fecerimus, duo restant testes qui contra Hyginum pugnant: Hyginus ipse in astronomia et scholiasta ille Strozzianus. quid de his statuendum est? astronomiae libro ab Hygino conscripto usum esse scholiastam Sangermanensem, ex quo pendet Strozzianus, contendit Robertus (p. 195) et revera demptis nugis Fulgentianis bene omnia coeunt, praeter quod *'complures'* Hygini *'Hesiodum'* diserte dicit scholiasta. quae cum ita sint, meo iure contendo utrumque ex eodem fonte Pseudoeratosthene i. e. scholiis Arateis fabulam Phaethonteam hausisse, cui auctor adscriptus fuerat Hesiodus. ex hoc igitur astronomiae capite adsumpto scholiastae Strozziani testimonio disputatio de argumento carminis Hesiodei proficisci debet. *Phaethon* vero *Hesiodi* ut est in libro fabularum, minime argumentum unius carminis Hesiodei exhibet, sicuti visum est Roberto, sed ex variis auctoribus concinnatus est non sine gravi compilatoris errore.

[4a]) *deciderit* cod. Harl. 647 s. IX/X, qui continet epitomas astronomicorum Hygini (Vogels *progr. Crefeld 1884)*; idem coniectura assecutus erat Buntius, vulgo legebatur *deiecerit.*

Cicero de off. III 94 his verbis fabulam commemorat: *Sol Phaethonti filio, ut redeamus ad fabulas, facturum se esse dixit quicquid optasset; optavit ut in currum patris tolleretur; sublatus est. atqui is antequam constitit, ictu fulminis conflagravit . . .*, ubi ad verba diductis litteris expressa animum velim attendas. quodsi Hyginus simile quid de iuvene nondum multum caeli permenso in fonte suo repperisse censendus est, facile erroris originem explicaveris [5]). porro diluvium Deucalioneum non ex Hesiodo desumptum est, sed ex syntagmate mythographi qui res illas fabulosas in temporum ordinem digerere studuit. cardo disputationis Roberti hic vertitur: etenim diluvii mentione scite usus eo devenit, ut catalogis Hesiodeis fabulam inserendam esse statuerit. at aperte falsus est. nam diluvium Deucalioneum ex incendio Phaethonteo ortum esse probi testes ignorant. Plat. Tim. p. 22[c]: *πολλαὶ καὶ κατὰ πολλὰ φθοραὶ γεγόνασιν ἀνθρώπων καὶ ἔσονται, πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι.* deinde fabula Phaethontea explicata ita pergit: *ὅταν δ' αὖ θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν, οἱ μὲν ἐν τοῖς ὄρεσι διασῴζονται κτἑ.* vides illum iuxta posuisse et incendium et diluvium, sed hoc ab illo perspicue distinxisse. neque aliter Lucretius V 392 ss., ubi de aquae et ignis certamine:

tantum spirantes aequo certamine bellum
magnis inter se de rebus cernere certant,
cum semel interea fuerit superantior ignis
et semel, ut fama est, umor regnarit inarvis.
ignis enim superat et lambens multa perussit,
avia cum Phaethonta rapax vis solis equorum
aethere raptavit toto terrasque per omnis:
at pater omnipotens ira tum percitus acri
magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
deturbavit equis in terram Solque cadenti
obvius aeternam succepit lampada mundi
disiectosque redegit equos iunxitque trementis,

---

5) fabulam Euripideam respexisse Ciceronem exemplis quae sequuntur Hippolyti — nescio cur hoc pro spurio habuerit Baiterus — et Iphigeniae satis probabile fit. cui obstat Euripidis fragm. 779. sed errorem vel potius nimiam dicendi brevitatem agnoscere malo quam ad nugatorias confugere ariolationes. ceterum conferas, quae adn. 20 et 34 disputabimus.

inde suum per iter recreavit cuncta gubernans,
scilicet ut veteres Graium cecinere poetae.

. . .

umor item quondam coepit superare coortus,
ut fama est, hominum multas quando obruit urbis e. q. s.

apparet auctorem Lucretii utramque *φθοράν* novisse sed connexum incendii cum diluvio sprevisse. atque summi faciendum est hoc testimonium, cum *veteres Graium poetas* praeter Euripidem Hesiodum ni plane fallor significans disertis verbis memoraverit. Hesiodum subindicari ut mihi persuaserim, hoc maxime me impellit, quod ceteri quot novimus poetae in censum non veniunt. neque enim Euripides (ut taceam de oblitterata fabulae Aeschyleae memoria),[6]) qui incendium mundi omnino non curavit, neque poeta ille Alexandrinus, de quo capite tertio agemus, utpote recentioris temporis, huc quadrant: ergo restat unus Hesiodus.

Diluvium Deucalioneum ab incendio Phaethonteo a prima origine seiunctum esse intelleximus: confirmatur igitur quod supra posui utramque perniciem non a vetere poeta Ascraeo sed a viro docto, qui has res certo temporum ordine digerere studuit connexam esse. tale studium non solum Hyginus fabularum scriptor sed etiam alii produnt. conferas scholiastam Platonis: *ὅτι κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους γενέσθαι φασὶ τόν τε περὶ Θεσσαλίαν καὶ τοὺς ἐκείνῃ τόπους κατακλυσμὸν καὶ τὴν ἐν Αἰθιοπίᾳ ὑπὸ τοῦ Φαέθοντος ἐκπύρωσιν* et Syncell. p. 297, 7 s.: *κατὰ τοῦτον τὸν Κραναὸν ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐν Θεσσαλίᾳ καὶ ὁ ἐπὶ Φαέθοντος ἐμπρησμὸς ἐν Αἰθιοπίᾳ· πολλαὶ δὲ καὶ ἄλλαι γεγόνασιν Ἕλλησιν τοπικαὶ φθοραί, ὡς Πλάτων ἐν Τιμαίῳ* (Euseb. ed. Sch. II p. 26 s. cf. Hieronym. ad ann. Abr. 497 et 498)[7]). quodsi recte hucusque disputavi, fides Hygini hac quoque in re labe-

[6]) sed cf. adnotat. 20.

[7]) diluvium Deucalioneum incendiumque Phaethonteum saepissime a posteris iuxta ponuntur et ita quidem, ut fere in proverbii speciem abiisse videantur. exempli causa haec adfero: Ovid fast. IV 793 s. (de Palilium origine):

sunt qui Phaethonta referri
credant et nimias Deucalionis aquas.

Lucill. Anth. Pal. XI 131:

Οὔτ' ἐπὶ Δευκαλίωνος ὕδωρ ὅτε πάντ' ἐγενήθη
οὔθ' ὁ καταπρήσας τοὺς ἐπὶ γῆς Φαέθων

factata est. verba igitur fabulae 153 adscripta *Phaethon Hesiodi* idem fere valent atque subscriptiones in fine scholiorum maxime Homericorum additae, de quibus iudicium nuper tulit E. Schwartzius. atque historiam de Phaethonte e consimili enchiridio excerptam alibi extare in fine huius commentationis demonstrabo. quod tamen non ita acceptum volo, ut nulla narrationis Hesiodeae vestigia recensioni Strozzianae a Roberto concinnatae inesse statuam — nam insunt nonnulla — sed ut disputationi Roberti,

---

ἀνθρώπους ἔκτεινεν, ὅσους Ποτάμων ὁ ποιητὴς
καὶ χειρουργήσας ὤλεσεν Ἑρμογένης.

Lucian. Tim. 4: *πόσοι Φαέθοντες ἢ Δευκαλίωνες ἱκανοὶ πρὸς οὕτως ὑπέραντλον ὕβριν τοῦ βίου;* Lactant. Phoenix 11 sqq.:

Cum Phaethonteis flagrasset ab ignibus axis,
ille locus flammis inviolatus erat;
et cum diluvium mersisset fluctibus orbem,
Deucalioneas exsuperavit aquas.

ceterum haec diu scripta fuerunt, ecce mihi adfertur Mayeri disputatio de Protesilao Euripideo (Herm. XX 101 sqq.), cui epimetrum de fabulis Hyginianis 151 et 152 adiecit. ego nihil eorum quae scripseram mutandum esse censui. nam fere eisdem rationibus quibus ego usus sum pugnavit contra Robertum. plura de nexu inter diluvium Deucalioneum incendiumque Phaethonteum disseruit, quae in universum cum nostra disputatione congruunt, nisi quod originem altius ex scriptoribus alexandrino-iudaicis repetendam esse sibi persuasit. at quae testimoniis a Roberto laudatis addidit diligentius examinare debebat. pendent enim Clemens Alexandrinus (Strom. I p. 380 et 401 P.) ex Tatiano, ex Africano Eusebius, ex Eusebio Orosius (I 9 et 10) omnesque redeunt ad Platonem, quem (ex Africano) diserte laudaverat Eusebius (Syncell. l. l.), vel potius ad scholiastam Platonis (cf. Mayer p. 140). Plato ipse cum synchronismum istum certe non agnoscat, plane nihil novi ex illis scriptoribus addiscimus, nisi quod Aethiopia sola *ἐκπυρισμῷ* Phaethontis affecta sit. quod cum apud chronographum qui *τοπικοὺς κατακλυσμοὺς* diversis regionibus attribuere studet legatur, recens, fortasse, ut Wilamowitzius putat, christianum inventum est. idem me monet Phaethontem primum Molossorum regem, de quo Proxenus ut videtur apud Plut. Pyrrh. 1: *Θεσπρωτῶν καὶ Μολοσσῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἱστοροῦσι Φαέθοντα βασιλεῦσαι πρῶτον ἕνα τῶν μετὰ Πελασγοῦ παραγενομένων εἰς τὴν Ἤπειρον,* utpote ex Eretria translatum (Steph. Byz. *Ἐρέτρια· οὕτω δ' ἐκλήθη ἀπὸ Ἐρετριέως τοῦ Φαέθοντος υἱοῦ· τοῦτον δ' εἶναι ἕνα τῶν Τιτάνων*) seiungendum esse. cf. *Hom. Unters. p. 26.* porro quae sequuntur *ἔνιοι δὲ Δευκαλίωνα καὶ Πύρραν εἱσαμένους τὰ περὶ Δωδώνην ἱερὸν αὐτόθι κατοικεῖν ἐν Μολοσσοῖς* omnino secernenda ab enuntiato antecedenti redire ad Aristotelem Meteor. I p. 353a 27 ss. vidit Niese (Herm. XII 412).

qui ex illa fere sola proficiscendum esse sibi persuaserit, fundamentum prorsus subtrahatur. nobis longe alia ratiocinatione opus erit, ut quid de argumento carminis Hesiodei constet caute definiamus. itaque duce Hygino de astr. II 42 singula percenseamus.

Heliades clam Sole patre currum iunxisse, ut est in cap. 152[b] libri fabularum, confirmatur a Plutarcho mor. p. 466[c]: *ὁ δὲ Φαέθων ἀναβὰς εἰς τὸν οὐρανὸν ἔκλαιεν, εἰ μηδεὶς αὐτῷ τοὺς τοῦ πατρὸς ἵππους καὶ τὰ ἅρματα παραδίδωσιν.* hoc inventum cum ad Aeschylum satis probabiliter rettulisset Robertus, e nomine Dioxippes unius ex Heliadibus, cum equis Solis rem esse virginibus ab Hygino enumeratis sagaciter conclusit [8]). si verum vidit vir doctissimus, memoria harum septem puellarum redit ad Hesiodum. iam puto transformationis iusta causa subest, quam revera a poeta in fine narrationis additam fuisse fidem facit Lactant. Plac. ad Ovid. met. II. fab. II. a Roberto omissus: *sorores Phaethontis Phaethusa Lampetie Phoebe* (hae praeter *Phoeben* ex Ovidio desumptae sunt) *casum fratris dum deflent deorum misericordia in arbores populos mutatae sunt. lacrimas earum ut* **Hesiodus** *et* **Euripides** (Hipp. 740 ss.) *indicant in electrum sunt conversae* [9]). satis mirum videtur quod poeta sucinum, quod coniferarum arborum, ut cum rerum naturalium peritis loquar, esse constat, e populis stillare dixit. sed cohaeret hoc cum Eridani fluvii natura, de quo vel post Müllenhoffium (*deutsche altertumskunde* I p. 222) nonnulla disserere non erit inutile. [10]) *Ἠριδανὸν* eiusdem stirpis esse atque *Ἠριγένειαν* in propatulo est, in extremo igitur oriente si primam

---

[8]) ministras solis quae sacros greges custodiunt Homerus Heliades novit μ 132 s.:

νύμφαι ἐυπλόκαμοι Φαέθουσά τε Λαμπετίη τε,
ἃς τέκεν Ἠελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα.

Dioxippe redit apud Tzetz. chil. IV 365 s.:

Αἴγλη καὶ Λαμπετίη δέ, Φαέθουσα πρὸς ταύταις
καὶ Ἡμιθέα (!) μετ' αὐτῶν ὁμοῦ καὶ Διωξίππη.

recte nonnulla de audaci iuvenis consilio disputavit Mayer p. 135.

[9]) nescio an huc spectet Hesiod. frg. 226 M.:

πολλὰ δ' ἀπὸ χλωρῶν δενδρέων ἀμύοντα χαμᾶζε.

[10]) nihil profuit Brown *Eridanus, river and constellation, London* 1883, qui ex rationibus comparativae quam dicunt mythologiae profectus omnia conturbavit. cuius vana commenta explosi *Berl. philol. Wochenschrift* 1884. sp. 1286 sqq.

spectas originem quaerendus. at idem, cum lucem Solis tanquam flumen cogitatione sibi finxerint veteres in extremo oriente nasci, desinere in occidentem, ut bene monet Müllenhoffius, in occidente quoque fluit. in hac vero fabulosa mundi parte aditus Orci patet:

ἔνϑ' ἀκτή τ' ἐλάχεια καὶ ἄλσεα Περσεφονείης
μακραί τ' αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι

(Hom. κ 509 s.). habes populos Orco sacras, atque Eridanum, ne quid desit, apud inferos novit Vergilius Aen. VI 658 sq.: — unde pendet Culex 260 —

unde superne
plurimus Eridanus per silvam volvitur amnis.

tali igitur amni Solem cottidie immergere fabulati sunt, id quod ad Phaethontem (*Ἥλιον Φαέϑοντα*) facili ratiocinatione potuit transferri [11]). proximae sunt populi illae fabulosae, quas olim Heliades fuisse et in hasce arbores esse mutatas Hesiodus Homeri versuum memor suo Marte finxit, nimirum ut legentibus sucini originem explanaret. de quo Herodotus III 115: *οὔτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέκομαι Ἠριδανὸν καλεῖσϑαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν ἐκδιδόντα ἐς ϑάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον* (situs igitur fluvii paullulum differt), *ἀπ' ὅτευ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστί . . . τοῦτο μὲν γὰρ ὁ Ἠριδανὸς αὐτὸς κατηγορεῖ τὸ οὔνομα, ὡς ἔστι Ἑλληνικὸν καὶ οὐ βάρβαρον, ὑπὸ ποιητέω δέ τινος ποιηϑέν.* contra geographum (sive Scylax is est sive Hecataeus) pugnat, poetam autem ni fallor Hesiodum significat. Eridanum apud Hesiodum Theog. 338:

Νεῖλον Ἀλφειόν τε καὶ Ἠριδανὸν βαϑυδίνην

minime incerti situs sed occidentis esse amnem, siquidem poeta ab oriente profectus celeberrimos amnes hoc uno versu comprehendit, iam alio loco (*Berl. phil. Wochenschr. 1884 sp.* 1288) monui. videtur autem mentio eius facta esse propter electri originem vel quod idem est propter fabulam Phaethonteam [12]).

Comprehendam quod de hac parte carminis Hesiodei eruisse

---

[11]) hinc fortasse explicandus Dionys. Scytobr. ap. Diod. III 57: *τὸν δὲ Ἡλίου ὄντα παῖδα τὴν ἡλικίαν ἐμβαλόντας εἰς τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν ἀποπνῖξαι.*

[12]) tanquam fabulosi amnis exemplum posuit Batrachomyomachiae poeta 19 s.:

καί με πατὴρ Πηλεὺς ἀνεϑρέψατο Ὑδρομεδούσῃ
μιχϑεὶς ἐν φιλότητι παρ' ὄχϑας Ἠριδανοῖο.

mihi videor. vetustam famam de Eridano inferorum amne secutus, ad cuius ripas tristes illae populi pullulare ferebantur, ab illo exanimatum iuvenis corpus exceptum, has scilicet Solis filias mutatas sucini lacrimas profundere effinxit. quanquam ne sic quidem simplicissimam fabulae speciem restituimus: recte enim Heliades merum poetae inventum esse Robertus praeeunte Müllenhoffio animadvertit[13]).

[13]) rem in adnotatione perficiam. *ἤλεκτρον* lapidem solarem primam originem a Sole ducere apparet, id quod fabula Celtica confirmatur ab Apollonio Rhodio servata IV 611 ss.:

Κελτοὶ δ' ἔπι βάξιν ἔθεντο,
ὡς ἄρ' Ἀπόλλωνος τάδε δάκρυα Λητοΐδαο
ἐμφέρεται δίναις, ἅτε μυρία χεῦε πάροιθεν,
ἦμος Ὑπερβορέων ἱερὸν γένος εἰσαφίκανεν
οὐρανὸν αἰγλήεντα λιπὼν ἐκ πατρὸς ἐνιπῆς,
χωόμενος περὶ παιδί, τὸν ἐν λιπαρῇ Λακερείῃ
δῖα Κορωνὶς ἔτικτεν ἐπὶ προχοαῖς Ἀμύροιο.

quibus versibus etiamsi causa lacrimarum recentioris est originis antiquiorem fabulae speciem servatam esse concedes. atque sane dolendum est, quod auctorem Apollonii prorsus ignoramus. cf. Welcker *Aeschyl. trilogie* p. 879. in eis quae antecedunt 596 ss.:

ἐς δ' ἔβαλον μύχατον ῥόον Ἠριδανοῖο,
ἔνθα ποτ' αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ
ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο
λίμνης ἐς προχοὰς πολυβενθέος· ἡ δ' ἔτι νῦν περ,
τραύματος αἰθομένοιο βαρὺν ἀνακηκίει ἀτμόν

vides Solis *περικαλλέα λίμνην* (Hom. γ 1) cum inferorum fluvio quasi in unum corpus coaluisse. plane enim quadrat Apollonii descriptio in Aornum fluvium Plutonis regno proximum (cf. Timae. ap. Antig. hist. mir. 152 = Pseudo-Aristot. mirab. ausc. 102. Diod. IV 22); eadem scilicet ex eodem fonte sive Lycus is fuit (Müllenhoff p. 430) sive Theopompus (*Unger, der Eridanus in Venetien, sitzungsber. der bayer. akad.* 1878 II p. 290 s.) docet Pseudo-Aristot. mirab. 81. novo igitur testimonio veram Eridani naturam cognovimus. ceterum vulgata fuisse videtur opinio ex ipsis Solis radiis oriri sucinum, cf. Plin. n. h. XXXVII 36: *Nicias solis radiorum sucum intellegi voluit. hos circa occasum in terram actos pinguem sudorem in ea relinquere* . . . adde Tacit. Germ. 45. — *αἴγειροι* mobilitate foliorum insignes optime speciem praebent mulierum perpetuo lugentium; cf. schol. Hom. η 102, qui laudat Sophoclis Aegeum; fragmentum (24 N.) corruptum quidem, sed quid dicere voluerit poeta tragicus in aprico est. cognatam fabulam, qua scilicet electri origo ad orientem transfertur, Sophocles in Meleagro exornaverat; Plin. n. h. XXXVII 38: *hic* (Sophocles) *ultra Indiam fieri dixit e lacrimis Meleagridum avium Meleagrum deflentium.* Meleagrides optime comparari possunt cum Heliadibus. cf. Hehn *Kulturpfl.* 316 s.[3].

Incendium quale fuerit apud Hesiodum e Lucretio comperimus: modo teneatur immanem illam perniciem qualem Alexandrini poetae coloribus exornatam Ovidius praebet a simplicitate poetae alienam esse. quem potius τοπικὴν ἐκπύρωσιν descripsisse conicio. sed plura de hac re sciri nequeunt. unum fortasse recuperare licet. quid enim Phaethonti in Eridanum lapso accidit? scholiasta quidem Strozzianus, qui ex sinceriore fabularum Hyginianarum recensione hausit, nihil de illo refert, sed Eridanum inter astra collocatum esse contendit; contra Hyginus in astronomia Phaethontem a Sole inter sidera esse perlatum adfirmat. atque illum catasterismum utpote alienissimum ab Hesiodo grammatici levitati deberi verissime Robertus statuit; addere poterat Eridani nomen vel Eudoxo ignotum (Hipparch. τῶν Ἀράτου καὶ Εὐδόξου φαινομένων ἐξηγήσεων I 18) recentioris esse originis. quod vero ullum catasterismum commemoratum fuisse negat, me quidem adsentientem non habet. an Phaethontem alterum Solem fluctibus Eridani immersum plane periisse credis? obstat Hyginus, quem argumentum carminis Hesiodei servasse satis probavisse nobis videmur. itaque hac quoque in re fides ei est habenda. at cum planeta quem Saturnum dicimus Hesiodo vix noto connexa legitur fabula apud Hyginum. concedo rem ita se habere. sed contra haec reputa. Saturno planetae, ubi cognomine φαέθων est adpellatus, vulgarem de Phaethonte fabulam adnexam esse a catasterismi auctore consentaneum est, sed nihil hoc utpote mythographi inventum probat. nam Luciferum-Hesperum potius Phaethontem esse luculente demonstravit Wilamowitzius Herm. XVIII 432 ss. atque Homero ψ 246 alter Aurorae equus Φαέθων audit, unde facile Phaethontem i. e. Luciferum Aurorae praecursorem derivabis. is igitur olim Solis fuit filius, qui patris equos infeliciter moderatus Iovis fulmine percussus est. mortuus in stellam mutatur, cui concessum, ut Soli praecurrat; qui postquam exortus est, ipse extinguitur atque evanescit. simplicissima haec fabulae species, quam secutus est Euripides in Phaethonte. verum enim vero me quidem si audis neque ipse finxit neque ex popularium ore excepit sed ex ipso illo carmine Hesiodeo, in quo Phaethontem a Sole inter sidera receptum esse narratum erat, hausit coniunxitque cum loco Theogoniae, quo Phaethon Cephali

Auroraeque filius celebratur. nam illius fabulae ab Aeschylo in Heliadibus exornatae bene gnarum fuisse Euripidem ostendit Hippolyt. 735 ss. quodsi recte disputavi, probabilis fit Roberti coniectura etiam Clymenam, de qua multus est Euripides, Phaethontis matrem iam apud Hesiodum fuisse. situs vero historiae, quam propter Deucalionei diluvii mentionem Catalogis confidenter adscripsit Robertus, postquam hanc coniecturam redarguimus, incertus manebit: aut in Catalogis aut in Eoeis poeta res Phaethontis concelebravit.

Denique ne quid sciens videar praetermisisse, tertium addo Phaethontem-Absyrtum, de quo fabulam recentem eamque ne satis intellectam quidem exhibet Apollonius Rhodius III 241 sqq.:

ἄλλῳ <sc. *δόμῳ*> *δ' Ἄψυρτος ναῖεν πάις Αἰήταο·*
τὸν μὲν Καυκασίη νύμφη τέκεν Ἀστερόδεια,
πρίν περ κουριδίην θέσθαι Εἰδυῖαν ἄκοιτιν
Τηθύος Ὠκεανοῦ τε πανοπλοτάτην γεγαυῖαν·
καί μιν Κόλχων υἷες ἐπωνυμίην Φαέθοντα
ἔκλεον, οὕνεκα πᾶσιν μετέπρεπεν ἠιθέοισιν.

causam cognominis v. 246 indicatam (ex quo fortasse pendet Pseudotheocr. XXV 139) parum aptam esse quivis sponte intelleget. apta fit, si Aeetam, quem Corinthi in urbe Solis oriundum esse dixerat Eumelus (frg. 2 M.) eumque secutus Epimenides (schol. Apollon. III 242), tanquam Solis *ὑπόστασιν* esse reputaveris. expectamus uti Soli praecurrit Lucifer, ita Phaethontem illum equos moderari paternos. ecce auriga Aeetae:

τῷ δὲ καὶ ὠκυπόδων ἵππων εὐπηγέα δίφρον
ἔρχε πέλας Φαέθων ἐπιβήμεναι· ἂν δὲ καὶ αὐτὸς
βήσατο, ῥυτῆρας δὲ χεροῖν ἔχεν —

(Apoll. III 1235 ss.)

Asterodiam autem Lunam esse, ut taceam de Cephali sorore eiusdem nominis (Apollod. I 9 4. schol. Hom. B 520), abunde docet Pausanias V 1 3: *οἱ δὲ δὴ μᾶλλόν τι ἐοικότα λέγοντες Ἐνδυμίωνι λαβόντι Ἀστεροδίαν γυναῖκα,* ubi Lunae loco vicaria fungitur.

Et si quis nimis audacter a me diversos Phaethontes confusos esse iudicaverit, alia via idem effecturum me esse spero. Sophocles in fabula quae Scythae inscripta fuit, ut foedum facinus a Medea perpetratum aliquo modo mitigaret, Absyrtum uterinum esse negans *Νέαιραν μίαν τῶν Νηρηίδων* matrem illius induxerat

(Dionys. Scytobr. ap. schol. Apoll. III 242). Neaera vero secundum Homerum μ 133 Soli peperit Phaethusam Lampetienque Heliades, sorores Phaethontis[14]). remansit igitur vestigium eiusdem progeniei caelestis vel apud poetam tragicum. quae cum ita sint, verum divinasse Prellerum censeo, qui Absyrtum-Phaethontem Luciferum esse coniecit (*Gr. Myth.* II 335). res ita explicanda. Graeci qui in litora Ponti colonias deduxerunt, consimili fabulae barbarae — formatus enim est Ἄψυρτος ex barbaro nomine Ἄψαρος; cf. Arrian. peripl. pont. Eux. 6, 3. Artemid. ap. Steph. Byz. Ἀψυρτίδες — Phaethonteam superstruxerunt[15]), unde se-

---

[14]) memineris Phaethusam matrem audire Myrtili item infelicis aurigae, de quo infra dicetur. — aliam famam de Aeetae filio secutus erat Pacuvius (Cic. de nat. deor. III 48. Quintil. VIII 6, 35), cui Aegialeus audit. idem scilicet ex eodem poeta tragico desumptum auctore Scytobrachione refert Diodorus IV 45 (Schwartz *de Dion. Scytobr.* p. 10); adde Iustin. XLII 3. Δικαιογένης δὲ ἐν τῇ Μηδείᾳ Μετιαπόντιον αὐτὸν ὀνομάζει schol. Eur. Med. 167.

[15]) comparabis Phaethontem-Tenagem (Wilamowitz Herm. l. l. 429), qui vel in eo egregie respondet Phaethonti-Absyrto, quod fabulae Cariae graecam de Phaethonte superstruxerunt Graeci. porro cognatus Phaethonti-Absyrto Atymnius, quem Hesperum una cum Venere-Luna Gortynii colebant teste Solino 11: *iidem Gortynii et Adymnum colunt Europae fratrem: ita enim memorant. videtur hic et occurrit, sed die iam vesperato augustiore se facie visendum offerens.* Atymnius — haec enim vulgata nominis forma — idem fere passus est atque Phaethon, siquidem Ampelum praedicat Bacchus apud Nonnum XII 217:

οὐ θάνες, ὡς τέθνηκεν Ἀτύμνιος,

XI 130 sq.: πολλάκι Φοιβείοιο καθήμενος ὑψόθι δίφρου
ὑψιφανὴς ἤλαυνεν Ἀτύμνιος ἠέρα τέμνων,

quem adeo amavit Phoebus, ut non solum necem eius praematuram valde defleret: Nonn. XIX 180, ubi Maro:

καὶ οὐ μάθον αἴλινα μέλπειν,
οἷα παρὰ Κρήτεσσιν ἄναξ ἐλίγαινεν Ἀπόλλων
δακρυχέων ἐρατεινὸν Ἀτύμνιον,

sed etiam nomen eius suo nomini adderet XI 258 s.:

ὄλβιος ἔπλετο Φοῖβος Ἀτύμνιος· ἠιθέου γὰρ
ἔλλαχεν οὔνομα τοῦτο,

unde ei contigit, ut inter Apollinis amores reciperetur, quorum laterculum copiosum servavit Clem. Rom. homil. V 15; adde Philostr. ep. 8., ubi Wilamowitzius (comm. gramm. II 14) nomen restituit et Apollod. III 1 2, 3,

quitur exitum et Absyrti et Phaethontis a prima origine fuisse simillimum, ne dicam parem. et re vera foeda pueri caedes, quam ex Bacchicis mythis translatam Pherecydes primus videtur narrasse, aliena fuit a vetere fabula. ceterum mentione dignum, si fides est scholiastae Eur. Med. 167, *Ἄξυρτον* i. e. Intonsum audisse, quod nomen profecto decet Solis filium. et parvulus est apud Sophoclem (frg. 501) et alius matris atque Medea; hoc retinuit Apollonius sed ita auxit, ut iuvenem strenuum et aurigam patris et ducem Colchorum efficeret. diversos non satis dextre videtur miscuisse, sed quem potissimum secutus sit, prorsus nescimus; parum enim iuvamur a scholiasta ad III 1235: *ὅτι ὁ Ἄψυρτος καὶ Φαέθων ἐκαλεῖτο, ὥς φησι Τιμῶναξ ἐν δευτέρῳ Σκυθικῶν,* cum de Timonacte nihil constet. at genealogia huius Phaethontis iam puto clara et perspicua erit.

---

qui Atymnium Rhadamanthi vel Sarpedonis amores vocant. translatus autem est ex Caria in Cretam: Amisodari filius Atymnius una cum Mari fratre Sarpedonis comites ab Antilocho occiduntur (Hom. *Π* 317 ss. cf. Preller, *Gr. Myth.* II 134 [3]). caelestem originem probat Cassiopia mater (Apollod. l. l. schol. Apollon. II 178), post mortem inter sidera recepta. Emathionem patrem Atymnii cuiusdam vel Quintus III 300 novit. vides artissimo vinculo coniunctum esse illum cum Phaethonte. de Phaethonte Tithoni filio Cephali Auroraeque nepote dixit Robertus Herm. XVIII 441.

CAP. II.

DE PHAETHONTE AESCHYLEO ET EURIPIDEO.

Ex Hesiodo pendet Aeschylus, quem primum de Heliadum lacrimis dixisse falso dicit Plin. h. n. XXXVII 31: *Phaethontis fulmine icti sorores luctu mutatas in arbores populos lacrimis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem quem Padum vocavimus, electrum appellatum, quoniam Sol vocitatus sit ἠλέκτωρ, plurimi poetae dixere primique ut arbitror Aeschylus Philoxenus Euripides Nicander Satyrus* et mox paucis interiectis: *quod Aeschylus in Iberia, hoc est in Hispania, Eridanum esse dixit eundemque appellari Rhodanum, Euripides rursus et Apollonius in Adriatico litore confluere Rhodanum et Padum, faciliorem veniam facit ignorati sucini in tanta ignorantia orbis.* hausta haec sunt ex ignoto scriptore περὶ ἠλέκτρου [16]), sed non sine Plinii ut videtur errore. quod Hesiodus deest, incuriae auctoris potest tribui, sed perperam Euripidi (Hipp. 736 ss., hos enim versus respexit) Apollonii sententiam obtrusit, quam redire apud scholiastam Euripidis monuit Wilamowitzius. primum igitur locum apud Plinium occupat Aeschylus, qui in Heliadibus fabulam fuse tractavit. quarum transformationem ex Hesiodo mutuatum esse summum poetam supra indicatum est. ac fortasse huc spectat fr. 69 ἀφθονέστερον λίβα de electro ut puto dictum (cl. Apoll. IV 606). Plinio teste cum Eridanum ex occidentis parte extrema in Iberiam trans-

---

[16]) nolim cogitare de Xenocrate (Buecheler, *Mus. Rhen.* XL 305 ss.), quem de fabulis disputasse in lithognomone minime constat.

tulerit Rhodanumque adpellaverit, matrem ni fallor virginum Rhoden esse voluit, quod nomen exhibet schol. Hom. ρ 208: *Ἥλιος Ῥόδῃ μιχθεὶς τῇ Ἀσωποῦ παῖδας ἔσχε Φαέθοντα καὶ Λαμπετίην καὶ Αἴγλην καὶ Φαέθουσαν* [17]). est enim illa eponymus urbis Hispaniensis eiusdem nominis coloniae Massaliensium. deinde scite ad Aeschylum rettulit Robertus Plut. mor. p. 466ᵉ: *καὶ Σωκράτης μὲν ἐν δεσμωτηρίῳ φιλοσοφῶν διελέγετο τοῖς ἑταίροις, ὁ δὲ Φαέθων ἀναβὰς εἰς τὸν οὐρανὸν ἔκλαιεν, εἰ μηδεὶς αὐτῷ τοὺς τοῦ πατρὸς ἵππους καὶ τὰ ἅρματα παραδίδωσιν,* unde Heliadum quae fratri lacrimanti obtestantique currum paternum tradidissent, summas fuisse partes concluderemus, nisi ipsa fabulae inscriptio doceret. transformationem earum commemoratam fuisse facile ex frg. 68 concluseris: *Ἀδριηναί τε γυναῖκες τρόπον ἕξουσι γόων,* cui adiungi potuit mentio moris accolarum a Plutarcho mor. 557 memorati . . . *οὐδὲ τοὺς περὶ Ἠριδανὸν βαρβάρους <ἐπαινοῦμεν> μελανοφοροῦντας ἐπὶ πένθει τοῦ Φαέθοντος, ὥσπερ λέγουσιν.* nam etsi antecedunt apud Plutarchum commenta poetarum Alexandrinorum, ut illud quoque *αἴτιον* fuisse suspicari possis a docto poeta explanatum, tamen *τῇ τραγικῇ ὕλῃ* adscripsit

---

[17]) fragmentis apud Nauckium accedit schol. Bern. ad Verg. Georg. I 482: *Aeschylus* <cod. *Eusebius*, corr. Hagen> *ipsum esse Rhodanum* <Eridanum> *propter magnitudinem et cursum rapidissimum.* ceterum Rhoden nympham cum Rhodo (de qua cf. Wilamowitz Herm. XIV 458. XVIII 429) confuderunt nonnulli (Apollod. I 4, 6; Steph. Byz. *Ἡλιούπολις*). Rhodum Pindarus Aeschyli aequalis celebravit Olymp. VII 14: *παῖδ' Ἀφροδίτας Ἀελίοιό τε νύμφαν Ῥόδον.* recentiores Venerem amovere studentes aliam uxorem Neptuno non Soli tribuerunt: Haliam (cf. Hom. Σ 400 schol.) Zeno ap. Diod. V 56, Amphitritem (quae eadem est atque Halia) Apollod. I 4, 6: *Ποσειδῶν δὲ Ἀμφιτρίτην γαμεῖ καὶ αὐτῷ γίνεται Τρίτων καὶ Ῥόδη, ἣν Ἥλιος ἔγημε,* ex quo corrigas schol. Pind. Ol. VII 24: *Ἡρόφιλος* <?> *δὲ Ποσειδῶνος καὶ Ἀφροδίτης* <scr. *Ἀμφιτρίτης*> *τὴν Ῥόδον εἶναί φησιν.* inter septem filios Heliadas — totidem filias Hesiodus novit — et Hellanicus et Zeno *Ἀκτῖνα* exhibent, quod nomen heroi omnino aptum esse negavit Wilamowitzius p. 429. translatum est ni fallor ex Pindaro 69 sqq.:

βλάστε μὲν ἐξ ἁλὸς ὑγρᾶς
νᾶσος ἔχει τέ νιν ὀξειᾶν ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατήρ,
πῦρ πνεόντων ἀρχὸς ἵππων· ἔνθα Ῥόδῳ ποτὲ μιχθεὶς τέκεν
ἑπτὰ σοφώτατα νοήματ' ἐπὶ προτέρων ἀνδρῶν παραδεξαμένους
παῖδας . . .

Polyb. II 16: *τἄλλα δὲ τὰ περὶ τὸν ποταμὸν τοῦτον ἱστορούμενα παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, λέγω δὴ τὰ περὶ Φαέθοντα καὶ τὴν ἐκείνου πτῶσιν, ἔτι δὲ τὰ δάκρυα τῶν αἰγείρων καὶ τοὺς μελανείμονας τοὺς περὶ τὸν ποταμὸν οἰκοῦντας, οὕς φασι τὰς ἐσθῆτας εἰσέτι νῦν φορεῖν τοιαύτας ἀπὸ τοῦ κατὰ Φαέθοντα πένθους . . . ἐπὶ μὲν τοῦ παρόντος ὑπερθησόμεθα* e. q. s. nec indignum fuerit arte Aeschylea.

Et haec quidem sunt quae de fabula oblitterata vel sciri possunt vel probabili ut speramus ratiocinatione adhibita conici licet. [18]) quae cum perpendimus, Aeschylum, si summam spectamus, ex Hesiodo pendere putabimus. sprevit Hesiodum, plane novum Phaethontem induxit Euripides iuvenis. cuius fabulae ut plenior imago effici possit, Wilamowitzii acumini debemus (cf. Herm. XVIII 396 ss.), unde pauca quae huc faciunt delibamus. Euripides igitur Phaethontem Solis filium cum Cephali filio (cf. Hesiod. Theog. 986 ss.) conflavit, sed illum ex clandestino Clymenae Solisque concubitu ortum esse voluit. pater mortalis, quem revera patrem suum esse iuvenis credit, Merops Aethiopum rex nuptias filii Venerisque parat, at ille reluctatur certiorque a matre de origine caelesti factus a Sole fatale currus moderamen impetrat. currum regit patre comite, sed mox fulmine Iovis tactus in ipsa Aethiopia decidit. cetera missa facio. itaque non solum

[18]) falsus est Welckerus *Aeschyl. tril.* p. 569 sq. eumque secutus Nauckius (FTG. 18) argumentum fabulae a scholiasta Hom. ρ 208 (unde Rhoden Aeschylo reddidimus) servatum esse. de quo in fine huius dissertationis fusius dicetur. non nullius foret momenti, si frg. 305 ad Heliades recte rettulisset Butlerus, sed incertissima est coniectura. ceterum doleo Godofredi Hermanni disputationem (*opusc.* III 130 sqq.) me non potuisse inspicere. denique ne quid praetermittam tragicum fortasse risit Eubulus perpetuus tragicorum irrisor, qui et in Nannio et in Pannychide (Ath. XIII 568ᵉf) de meretricibus dixerat:

ἐν λεπτοπήνοις ὕφεσιν ἑστώσας, οἵας
Ἠριδανὸς ἁγνοῖς ὕδασι κηπεύει κόρας.

cf. Eurip. Hipp. 78: *Αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.* ceterum sero vidi iam a Welckero l. l. Rhoden Phaethontis matrem relatam esse ad Aeschylum. idem vir doctus de interpretando fr. 69 mecum consentit. cetera quae et scholio in Odysseam fretus et Ovidio de argumento fabulae enucleavisse sibi visus est aut aperte falsa sunt aut satis incerta.

regionem mutavit poeta [19]), sed etiam incendium mundi Eridanum Heliades neglexit a vulgari fabula Hesiodea plane discrepans, cui praeter Clymenae nomen me quidem si audis tantum catasterismum debet, de quo egregie egit Wilamowitzius p. 431 s. Meropem unde petiverit nescimus: cogitare licet de fabula Coa (cf. Wilam. p. 430 s.) audacter in orientem translata. certe ***Μέροπος Τιτανίδα κούραν*** in corruptissimo Helenae cantico 381 sqq. memorat (cf. M. Mayer *de Eurip. mythop. diss. Berol. 1883 p. 59).* sed haec tragoedia singularis inventionis laude dignissima non ita placuit posteris, ut multos imitatores, id quod ceteris contigisse constat, nancisceretur [20]). atque multo post Euripidem exstitit poeta qui et Euripide usus et Hesiodo carmen celebre condidit, ex quo multi hauserunt. sed de hoc carmine priusquam disputem, corollarii loco reliquos Plinii testes — nam ex hoc exorsi sumus — examinabo.

---

[19]) Euripidem sequi videtur Chares qui *Phaethontem in Aethiopia Hammonis obisse, ibi et delubrum eius esse atque oraculum electrumque gigni* dixerat (Plin. n. h. XXXVII 33), quod nescio an coniungendum sit cum mentione fontis *Ἡλίου Φαέθοντος* sacri, cf. Curt. VIII 7. 22.

[20]) ex Euripide fortasse explicandus est ex parte error Hygini, de quo initio huius disputationis dixi, nam illum minime neglectum esse a mythographis docet schol. Hom. λ 326: *ἔνιοι δὲ αὐτὴν τὴν Κλυμένην προγαμηθῆναί φασιν Ἡλίῳ, ἐξ ἧς Φαέθων ἐγένετο παῖς,* id quod moneo propter Wilamowitzium p. 423. ceterum incendium mundi prohibitum esse a Iove recte monuit Wilamowitzius, quo spectat Cic. de off. III 94: *Sol Phaethonti filio, ut redeamus ad fabulas, facturum se esse dixit quicquid optasset; optavit, ut in currum patris tolleretur; sublatus est, atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagravit.* haec enim ex Euripide adumbrata esse docet de nat. deor. III 76. Euripidem praeter Hesiodum respicere videtur Lucret. V 399 sqq.:

at pater omnipotens iratum percitus acri
magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
deturbavit equis in terram Solque cadenti
obvius aeternam succepit lampada mundi.

in quibus versibus lapsus in terram ipsam certe poetam tragicum arguit (cf. fr. 783). etiam quae sequuntur optime quadrant in Phaethontem Euripideum. quod si ita est, vide mihi quanta vis insit plurali *scilicet ut Graium veteres cecinere poetae,* quo Hesiodum Euripidemque necesse est comprehenderit. in terram cecidisse Phaethontem praeter Lucretium Etym. M. 427, 11, cuius narratio ceteroquin ex Diodoro V 23 pendet, et Ioann. Antioch. fr. 2,9 Müll. indicant.

Philoxeni poema, quod respicit Plinii auctor, plane interiit. Satyrus autem, de quo nihil constat, si contuleris § 91 et 94, carmen videtur scripsisse de lapidibus, quale praeter Orpheum personatum scripsit Dionysius periegeta. in hoc carmine mentionem facere potuit Heliadum transformatarum, sicuti in periegesi fecit Dionysius (290 ss.). quod si ita se habet, dubitatio me subit Nicandri testimonium apud Plinium cum Satyro coniunctum num recte inter *ἑτεροιουμένων* reliquias receperit O. Schneiderus (Nicandr. p. 68). sunt enim haecce fragmenta: *magnes appellatus est ab inventore, ut auctor est Nicander, in Ida repertus. namque et passim inveniuntur, ut in Hispania quoque. invenisse autem fertur clavis crepidarum, baculi cuspide haerentibus cum armenta pasceret* (Plin. n. h. XXXVI 127 = frg. 101).

adfert aliquando errorem similitudo nominis sandaresi. Nicander sandaserion vocat, alii sandaseron. (Plin. n. h. XXXV II102 = frg. 102). — denique Servii ad Aen. IV 261 verbis: *dicit Plinius in naturali historia* (XXXVII 115 sqq.) *multa esse iaspidum genera, in quibus etiam fulvum commemorat* addidit vetus scholiasta: *haec et Didymus et Nicander affirmant. alii tradunt iaspidem in smaragdum abire* (frg. 103). quae tria ad carmen quoddam quo de lapidum viribus expositum fuerit non sine causa revocavit Schneiderus. quartum addiderim de sucini origine, in qua explicanda fabularem historiam respexisse poetam credibile est: hanc enim saepius respexit et in Theriacis et in Alexipharmacis.

CAP. III.

PHAETHON POETAE ALEXANDRINI QUATENUS RESTITUI POSSIT.

1.

Epyllii ab ignoto poeta Alexandrino conditi lineamenta ex Ovidio Nonno Luciano Sulpicio Maximo Philostrato restitui posse primus Wilamowitzius monuit *Anal. Eurip.* p. 181 et Herm. l. l. p. 396. quos testes si quis diligenter contulerit, facile eum animadvertet pendere ex uno eodemque auctore [21]), qui etiamsi fabulam Euripideam minime neglexit, tamen in universum narrationi Hesiodeae magis se applicuit temerarium Phaethontis cursum incendium orbis terrarum mutationem sororum more poetarum Alexandrinorum docte exornans. cumulus denique fabulae accessit insigni catasterismorum invento, quo Eridanum Phaethontem Cycnum Heliades vestigium cursus temerarii in caelo indagavit. atque fatendum quidem est non solum ducibus, quales in Cydippa Callimachea in Erigone Eratosthenica restituendis Buttmannus Diltheius Maafsius secuti sunt, verum etiam fragmentis ipsis plane deficientibus, tenorem poematis vix posse restitui, sed testibus diligenter inter se comparatis neque summa lineamenta obscura manebunt et singularia quaedam imitatorum consensu confirmata aliquotiens

---

[21]) in describenda imagine ficticia poetae cuidam se applicuisse Philostratus ipse subindicat, cum dicat: *ταῦτα τοῖς μὲν σοφοῖς πλεονεξία τις εἶναι δοκεῖ τοῦ πυρώδους, ποιηταῖς δὲ καὶ ζωγράφοις ἵπποι καὶ ἅρμα*, quae mirifice congruunt cum doctrina Lucretiana VI 392 sqq. cf. p. 7.

deprehendere licebit. inter quos primum locum obtinet Ovidius disertissimus profecto Graeci poetae interpres. ipsam fabulam Phaethonteam satis dextre cum Ius transformatione connexuit, cum Phaethontem, scilicet ut veram quam ipse iactat originem (met. I 753) a matre sciscitaretur, Epaphi conviciis excitatum esse fingeret. iurat Clymena ex Sole illum esse procreatum:

per iubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis,
nate, tibi iuro, quod nos auditque videtque,
hoc te, quem spectas, hoc te, qui temperat orbem
Sole satum . . .
nec longus patrios labor est tibi nosse penates,
unde oritur, domus est terrae contermina nostrae;
si modo fert animus, gradere et scitabere ab ipso.

apparet imitatio Euripidea, cf. fr. 775:

ΚΛ. μνησθεὶς ὅ μοι ποτ' εἶφ' ὅτ' εὐνάσθη θεός
αἰτοῦ τί χρῄζεις ἕν· πέρα γὰρ οὐ θέμις
λαβεῖν σε· κἂν μὲν τυγχάνῃς ὅ <του θέλῃς>,
θεοῦ πέφυκας· εἰ δὲ μή, ψευδὴς ἐγώ.
ΦΑ. πῶς οὖν πρόσειμι δῶμα θερμὸν Ἡλίου;
ΚΛ. κείνῳ μελήσει σῶμα μὴ βλάπτειν τὸ σόν.
ΦΑ. εἴπερ πατὴρ πέφυκεν· οὐ κακῶς λέγεις.
ΚΛ. σάφ' ἴσθι· πεύσει δ' αὐτὸ τῷ χρόνῳ σαφῶς.

et 771. Clymena quo loco se habeat disertis verbis non indicat Ovidius, sed cum Solis domum terrae suae conterminam esse dicat (754) Phaethonque matrem obsecret:

perque suum Meropisque caput taedasque sororum
traderet . . veri sibi signa parentis,

consentaneum est nuptam esse illam

Μέροπι τῆσδ' ἄνακτι γῆς,
ἣν ἐκ τεθρίππων ἁρμάτων πρώτην χθόνα
Ἥλιος ἀνίσχων χρυσέᾳ βάλλει φλογί.

at sunt quae ab Euripide omnino discrepant. nam ut taceam de Epaphi conviciis — haec enim ab ipso Nasone scite excogitata esse, scilicet ut transitus fieret a rebus Ius ad Phaethontis iam O. Müllerus (*prolegg. zu einer wissensch. myth.* p. 92) perspexit — adulescentem cum illo altercantem divinae originis iam conscium esse miramur. neglexit igitur artificiosum Euripidis inventum.

deinde Heliades neque ex Euripide mutuari potuit neque omnino probabile est Meropis filias quenquam dixisse, etiamsi lapsu ut videtur memoriae fingere ausus est Ovidius ipse trist. III 4, 29:

nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
cepisset genitor si Phaethonta Merops.

pentameter quidem ἦϑος tragoediae spirat: num vero inspexerit illam equidem valde dubito. atque hoc loco sufficit vestigia imitationis indicasse, de qua quid sentiam in fine huius disputationis aperiam. Longe aliter Nonni narratio conformata est, apud quem Clymena utpote legitima uxor una cum Phaethonte fatale currus moderamen a Sole impetrat (Dionys. XXXVIII 212 sqq.):

πάις δὲ γενήτορα νύσσων
δάκρυσι ϑερμοτέροισι ἑοὺς ἐδίηνε χιτῶνας·
χερσὶ δὲ πατρῴης φλογερῆς ἔψαυσεν ὑπήνης
ὀκλαδὸν ἐν δαπέδῳ κυκλούμενον αὐχένα κάμπτων
λισσόμενος· καὶ παῖδα πατὴρ ἐλέαιρε δοκεύων.
καὶ κινυρὴ Κλυμένη πλέον ᾔτεεν . . .

cardo rerum hic vertitur. etenim Nonnum ipsum talia minime finxisse Sol Lucianeus (dial. deor. 25) docet contra Jovis opprobria hoc modo se defendens: *πάντα μὲν* (sc. pericula) *ἠπιστάμην καὶ διὰ τοῦτο ἀντεῖχον ἐπὶ πολὺ καὶ οὐκ ἐπίστευον αὐτῷ τὴν ἔλασιν· ἐπεὶ δὲ κατελιπάρησε δακρύων καὶ ἡ μήτηρ Κλυμένη μετ' αὐτοῦ, ἀναβιβασάμενος ἐπὶ τὸ ἅρμα ὑπεϑέμην, ὅπως μὲν χρὴ βεβηκέναι αὐτόν.* qui cum egregie inter se consentiant, vix aliter consensus explicari potest, nisi ad communem fontem rettuleris. in quo nullas fuisse Meropis partes ex eis quae dixi apparet. nam cum Clymenam preces filii a patre currum flagitantis adiuvisse constet, necesse est illam ipsis aedibus dei commoratam esse statuamus. et commorari mehercle non potuisset, si Meropis, quem adulterium olim cum Sole commissum celare debebat, uxor fuisset. itaque consulto is qui fabulam ita conformavit discessit ab Euripide, Hesiodum secutus. Alexandrinum illum fuisse Nonnus docet, qui summa narrationis lineamenta retinuit. summa narrationis haec est.

Sol Clymenam pulcram nympham marinam ab Oceano uxorem petivit et duxit. ex qua filium procreavit Phaethontem. is cum patrem iam puer ludibundus esset imitatus, adulescens factus

cottidiano equorum adspectu immodicam currus regendi cupiditatem cepit precibusque illum fatigavit, ut potestatem sibi faceret. pater quamquam futurae calamitatis haud ignarus tandem et filii et matris precibus cessit.

Exordium si quid aliud ab ipso Nonno profectum esse nemo prudens infitiabitur. in cuius deliciis est mulierum natantium venustates vividis depingere coloribus. veluti Iuppiter in aquilam transformatus Semelem Asopi undis innatantem contemplatur; consimiliter Phoebus Clymenam

> *παρθένον αἰχικέλευθον ἐσέδρακεν, ὁππότε γυμνὴ*
> *νήχετο πατρῴοισι ἐπισκαίρουσα ῥεέθροις* [22]). —

> *Αἰθερίῳ δ' ἐλατῆρι πατὴρ ἐζεύξατο κούρην,*

cuius nuptias pluribus persequitur poeta inde a versu 131 tam crassa Minerva, ut hanc quoque descriptionem ipsi relinquendam esse statueris. attamen Solis amorem celebratum esse a poeta Alexandrino cum per se veri sit simile, tum confirmant et Lucianus dial. deor. 12, ubi Venus Amorem in hunc modum increpat: *τὸν Ἥλιον δὲ παρὰ τῇ Κλυμένῃ βραδύνειν ἐνίοτε ἀναγκάζεις ἐπιλελησμένον τῆς ἱππασίας* et Nonnus ipse VII 299 ss.:

> *ἀλλὰ τεὸν προκέλευθον Ἑωσφόρον εἰς δύσιν ἕλκων*
> *σοὶ καὶ ἐμοὶ* (Iovi) *ποθέοντι χαρίζεο, παννύχιος δὲ*
> *σῆς Κλυμένης ἀπόναιο καὶ εἰς Σεμέλην ταχὺς ἔλθω.*

XLII 49 ss.: (de Baccho in Beroae adspectu defixo agitur)

> *καὶ Κλυμένης φιλότητος ἀναμνήσας πρόμον ἄστρων*
> *Ἠέλιον λιτάνευε, ὀπισθοτόνων ἐπὶ δίφρων*
> *αἰθερίῳ στατὸν ἵππον ἀνασφίγγοντα χαλινῷ*
> *μηκύνειν γλυκὺ φέγγος, ἵνα βραδὺς εἰς δύσιν ἔλθῃ* [23]).

---

[22]) quamquam non prorsus aliena fuit haec lascivia a poetis Alexandrinis, siquidem apud Phanoclem (Ath. XIII 603) Agamemno natantem Argynnum spectabat.

[23]) ex Nonno pendere videtur Macedonius imitator <cf. Ludwich, *beiträge zur kritik des Nonn.* p. 93> Anth. Pal. V 223:

> *Φωσφόρε, μὴ τὸν Ἔρωτα βιάζεο, μηδὲ διδάσκου*
> *Ἄρεϊ γειτονέων νηλεὲς ἦτορ ἔχειν·*
> *ὡς δὲ πάρος Κλυμένης ὁρόων Φαέθοντα μελάθρῳ*
> *οὐ δρόμον ὠκυπόδην εἶχες ἀπ' ἀντολίης,*
> *οὕτω μοι περὶ νύκτα μόγις ποθέοντι φανεῖσαν*
> *ἔρχεο δηθύνων ὡς παρὰ Κιμμερίοις.*

Natus est ex Clymena Phaethon — hoc enim nomen infanti pater dedit:

'Ἥλιος δὲ
υἱέϊ δῶκεν ἔχειν ἑὸν οὔνομα μάρτυρι μορφῇ
ἄρμενον· ἠιθέου γὰρ ἐπ' ἀστράπτοντι προσώπῳ
Ἠελίου γενετῆρος ἐπέπρεπε σύγγονος αἴγλη.

nutritum et educatum esse puerum in Solis aedibus consentaneum est, etiamsi nihil certi adfirmat Nonnus 167 ss.:

καὶ πάις ἀρτικόμιστος ἔχων ἀνίουλον ὑπήνην
πῇ μὲν ἑῆς Κλυμένης δόμον ἄμφεπε, πῇ δὲ καὶ αὐτῆς
Θρινακίης λειμῶνα μετήιεν, ἧχι θαμίζων
Λαμπετίῃ παρέμιμνε βόας καὶ μῆλα νομεύων.

post hunc versum lacunam Graefius rectissime statuit. sed difficultas inest his versibus. quid enim Phaethonti cum Thrinacia insula occidentis, cum Solis aedes in oriente sitas esse haud obscure indicent vv. 118 ss.:

ὁππότε φοινίσσοντος ὑπὲρ ῥόον Ὠκεανοῖο
ἔμπυρον ἠῴοισιν ἑὸν δέμας ὕδασι λούων
παρθένον ἀγχικέλευθον ἐσέδρακε

et 287 ἀρχόμενος δὲ δρόμοιο μετέρχεο γείτονα Κέρνην.

evanescit difficultas, si totum locum ex Homero (μ 127 ss.) a Nonno imprudenter translatum esse statueris, sicuti per ambages totius carminis poeta Panopolitanus, qui alterum se iactat Homerum, diligentissime illum imitatus est non nunquam parum securus de rerum veritate. quod alio exemplo comprobavit Maafsius amicus, cum narrantem de Icarii catasterismo Arateam quandam memoriam prorsus intempestivam immiscuisse demonstraret, qua exempta difficultas loci tollitur [24]. ac mentione Heliadum quas apud auctorem suum invenerit adductum esse, ut illos versus Homeri in suum usum converteret, satis probabiliter statuisse mihi videor. quod si recte statui, vide mihi quantum ad inventionem poetae Alexandrini aestimandam lucrati simus. etiamsi Meropem Euripideum plane sprevit, ita secutus est Euripidem, ut orientem retineret.

Ab Oceano avo ludibundo nepotem in aerem esse iactatum,

---

[24]) Maafs, *Analecta Eratosthenica* p. 100 s.

semel a manu senis supposita deerrantem in mare cecidisse, unde illum futuri gnarum casum iuvenis futurum cognovisse quidem, sed matrem celasse, puerum Phaethontem pueriliter imitatum esse currum patris unus Nonnus narrat (167—183). de quo haud immerito comes de Marcellus elegans Nonni interpres: *les jeux de Phaéthon avec son aïeul l'Océan, le char de bois, qu'il fabrique en Sicile auprès de sa sœur Lampétie . . . sont des traits charmants, que les critiques primitifs de Nonnus et ses glossateurs modernes ont oublié de remarquer* [25]), nisi quod laudes auctori tribuendas ipsi Nonno attribuit. neque enim persuadere mihi potero hosce lepores nativa simplicitate conspicuos ab eodem homine profectos esse, qui tot frigidissima intempestivae doctrinae commenta ambagibus longinqui poematis inspersit. in mentem venit infantiae Dianae a Callimacho (in Dian. 72 sqq.) lepidissime descriptae [26]).

---

[25]) cf. R. Koehler, *über die Dionysiaca des Nonnus* p. 79.

[26]) data occasione adfero Nemesiani eclog. III 27 sqq., ubi quae de Sileno cum Baccho parvulo ludente leguntur non sine fructu cum Oceani lusu comparabis:

quin et Silenus parvum veneratus alumnum
aut gremio fovet aut resupinis sustinet ulnis
evocat aut risum digito motuve quietem
allicit aut tremuli quassat crepitacula palmis,
cui deus arridens horrentes pectore setas
vellicat aut digitis aures astringit acutas
adplauditve manu mutilum caput aut breve mentum
et simas tenero collidit pectore nares.

in his memorabilis imitatio Callimachea (in Dian. 76):

στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης,
ὤλοψας δὲ βίηφι,

quae de Diana parvula ad Bacchum transtulit Nemesianus. ceterum Silenum cum Baccho parvulo consimiliter ludentem repraesentant aliquot parietes Pompeianae (cf. Helbig 376—378). porro mentione dignus locus Claudiani de rapt. Pros. II 44 ss. Proserpina in veste sua

Hyperionio Solem de semine nasci
fecerat et pariter sed forma dispare Lunam
Aurorae noctisque duces. cunabula Tethys
praebet et infantes gremio solatur anhelos
caeruleusque sinus roseis radiatur alumnis.

Pergit Nonnus:

ἀλλ' ὅτ' ἀνηέξητο φέρων εὐάνθεμον ἥβην
πολλάκι πατρῴης φλογὸς ἥψατο, χειρὶ δὲ βαιῇ [27])
κούφισε θερμὰ λέπαδνα καὶ αἰγλήεσσαν ἱμάσθλην
καὶ τροχὸν ἀμφιπόλευε καὶ ἀμφαφόων δέμας ἵππων
χιονέαις παλάμῃσιν ἐτέρπετο κοῦρος ἀθύρων·
δεξιτερῇ δ' ἔψαυε πυριβλήτοιο χαλινοῦ.
μαίνετο δ' ἱπποσύνης μεθέπων πόθον· ἑζόμενος δὲ
γούνασι πατρῴοις ἱκετήσια δάκρυα λείβων
ᾔτεεν ἔμπυρον ἅρμα καὶ αἰθερίων δρόμον ἵππων.

iterum cardo rerum hic versatur: poeta Alexandrinus qui Meropi nullas in hac fabula partes dedit divinas nuptias futuras, quibus spretis iter fatale Phaethon ingressus est, plane omittere debuit. rediit igitur ad fabulam Hesiodeam: non ut originem caelestem probet — de qua non dubitat — sed iuvenili quodam ardore incitatus iuvenis currum flagitat. Alexandrini esse poetae quod modo exposuimus docent Philostratus imagg. I 11, qui quamquam paullo obscurius locutus est concinit cum Nonno: *τοῦτον* (Phaethontem) *γὰρ παῖδα Ἡλίου γενόμενον ἐπιτολμῆσαι τῷ πατρῴῳ δίφρῳ κατ' ἔρωτα ἡνιοχήσεως* (cf. Nonn. 171 *πατρὸς ἑοῦ ζαθέοιο φέρων πόθον ἡνιοχείης*) et Lucianus. neque aliter Ovidius (II 104):

propositumque premit flagratque cupidine currus,

etiamsi ius iurandum Solis, facturum se quicquid optasset filius, ex Euripide retinuit. et sunt alia quoque ab illo epyllii poeta aliena. veluti cum in fine libri primi iuvenem impigrum adisse patrios ortus retulerit (cf. Eur. 775, 17: *Ἡλίου μολὼν δόμους τοὺς σοὺς ἐλέγξω, μῆτερ, εἰ σαφεῖς λόγοι*), ad Solis aedes initio secundi libri copiose descriptas *adclivo limite* (19) venisse comperimus. in summone monte fuerunt? at qualia ectypa valvis aedium insculpta:

caeruleos habet unda deos, Tritona canorum
Proteaque ambiguum balaenarumque prementem
Aegaeona suis immunia terga lacertis

---

invalidum dextro portat Titana lacerto
nondum luce gravem nec pubescentibus alte
cristatum radiis e. q. s.

[27]) sic. cod. Laur. teste Ludwichio Herm. XII 273.

Doridaque et natas, quarum pars nare videtur,
pars in mole sedens virides siccare capillos e. q. s.

profecto magis quadrantia in aedes marinas. quid quod Tethys ipsa dea marina repagula equis fervidis repellit? cui parum aptum esse locum in arce Solis recte sensit Hauptius (ad 156). itaque ni fallor duas domus regias Solis Naso permiscuit, quarum alteram in monte positam forsitan ex Euripide retinuerit, alterius — ut est apud Nonnum — simul memor. certe auctori Alexandrino debet quae de Sole dicit (II 23 sqq.):

purpurea velatus veste sedebat
in solio Phoebus claris lucente smaragdis;
a dextra laevaque Dies et Mensis et Annus
Saeculaque et positae spatiis aequalibus Horae,
Verque novum stabat cinctum florente corona,
stabat nuda Aestas et spicea serta gerebat,
stabat et Autumnus calcatis sordidus uvis
et glacialis Hiems canos hirsuta capillos,

quae non solum cum sarcophago Ostiensi, de quo posthac plura dicenda erunt, concinunt, sed adposite comparari possunt cum Nonno XI 485 sqq. et XII 1 sq. [28]), nisi quod adfectato genere

---

28) *θυγατέρες δὲ χρόνοιο περὶξ φλογεροῖο θοώκου*
ἱστάμεναι στεφανηδὸν ἀτειρέος ἡνιοχῆος
τέσσαρες ἠσπάζοντο δυώδεκα κυκλάδες Ὧραι
δμωίδες Ἠελίοιο.

atque harum quattuor Anni horarum speciem consimiliter in sarcophago Ostiensi effictam agnovit Matzius. contra Diei *positae spatiis aequalibus Horae, δυώδεκα κυκλάδες Ὧραι,* ut apud Homerum Θ 433 sqq. Iunonis equos curant, ita apud Ovidium 118 sqq.:

iungere equos Titan velocibus imperat Horis;
iussa deae celeres peragunt ignemque vomentes
ambrosiae suco saturos praesepibus altis
quadrupedes ducunt adduntque sonantia frena

et apud Nonnum 297 sqq.:

καὶ ἠῴης ἀπὸ φάτνης
ἵππους Ἠελίοιο πυρώδεας ἤγαγον Ὧραι,
καὶ θρασὺς εἰς ζυγὸν ἦλθεν Ἑωσφόρος.

ceterum cf. Stat. Theb. III 407 sqq. et Lucian. d. d. 10, 1: *ὥστε λυέτωσαν μὲν αἱ Ὧραι τοὺς ἵππους.* Aurorae comites sunt ap. Quintum I 48 ss. quattuor

dicendi molestoque verborum tinnitu hic exemplar utrique commune paene obscuravit.

Sequuntur apud Nonnum preces filii matrisque, quas auctori suo supra vindicavi teste adsumpto Luciano. omittere debuit has preces coniunctas Ovidius, quippe qui Euripidem secutus Clymenam Meropis uxorem induxerit [29]. precibus pater tandem cessit aut iureiurando constrictus ut Euripide auctore narrat Ovidius aut

ἔμπεδα γινώσκων ἀμετάτροπα νήματα Μοίρης
ἀσχαλόων ἐπένευσε (Nonn. 218),

quod etiam Lucianus, etsi disertis verbis non dicit, sumere videtur [30]. sed antequam currum conscendere iubet iuvenem de periculis viae certiorem facit. miratus est Hauptius, quod Sol Phaethontem, quem *in diem alipedum ius et moderamen equorum* poposcisse versu 48 comperimus, tanquam annuum iter peracturum instruxerit. scilicet in unum diem currus regendi potestatem Phaethon Euripideus impetravit; quem a poeta docto quasi vicarium patris factum esse [31] abunde docet Nonnus annuum iter futurum ita describens, ut collato Ovidio dubitari non liceat, quin diuturnum iuvenis temerarii cursum in animo auctor habuerit.

Bipartitae sunt admonitiones dei et apud Nonnum et apud Ovidium: in priore in universum de viae periculis monet, in posteriore dat praecepta filio iam evecturo. quas contraxit Lucianus utpote brevitati studens, etiamsi verbis *ἀντεῖχον ἐπὶ πολὺ καὶ οὐκ ἐπίστευον αὐτῷ τὴν ἔλασιν* illam videtur subindicare. itaque trium testium concentu quales fuerint apud poetam Alexandrinum in universum decerni potest. atque Lucianus maxime congruit cum Ovidio, quem dexterrime rem administrasse fateberis.

Anni horae in pompa Ptolemaei Philadelphi comites fuerunt *πεντετηρίδος· ταύτῃ δ᾽ ἐπηκολούθουν ὧραι τέσσαρες διεσκευασμέναι καὶ ἑκάστη φέρουσα τοὺς ἰδίους καρπούς:* Callixen. ap. Ath. V. 198b. cf. Purgold, *archäol. bemerkungen zu Claudian u. Sidonius* (Gotha 1878) p. 56 s.

[29]) conferas 100:

quid mea colla tenes blandis ignare lacertis?

[30]) Sol Ovidianus rei futurae non ignarus est 124 s.:

praesagaque luctus
pectore sollicito repetens suspiria,

id quod deum decet.

[31]) de hac re bene monuit Wieselerus.

Vulgaris quidem sententia neminem praeter Solem acres equos regere posse, sed tamen non reticenda, cum a Nonno quoque expressa sit. Ovid. 57 sqq.:

plus etiam quam quod superis contingere fas est
nescius adfectas. placeat sibi quisque licebit:
non tamen ignifero quisquam consistere in axe
me valet excepto. vasti quoque rector Olympi,
qui fera terribili iaculatur fulmina dextra,
non agat hos currus: et quid Iove maius habemus?

deinde non nullis interpositis:

nec tibi quadrupedes animosos *ignibus illis,*
quos in pectore habent, quos ore et naribus efflant,
in promptu regere est: vix me patiuntur, ubi acres
incaluere animi . . .

Nonnus 198 ss.:

ὦ τέκος Ἠελίοιο, φίλον γένος Ὠκεανοῖο,
ἄλλο γέρας μάστευε[33]*, τί σοί ποτε δίφρος Ὀλύμπου;*
ἱπποσύνης ἀκίχητον ἴα δρόμον. οὐ δ'ύνασαι γὰρ
ἰθύνειν ἐμὸν ἅρμα, τόπερ μόγις ἡνιοχεύω.

tum simili sententiarum ordine pergit ne deos quidem, quorum complures enumerat (Iovem omittit), praeter se ipsum currum regere posse.

Ovid. 63 sqq.:

ardua prima via est et qua vix mane recentes
enituntur equi . . .
ultima prona via est et eget moderamine certo;
tunc etiam quae me subiectis excipit undis
ne ferar in praeceps, Tethys solet ipsa vereri.

Lucianus: *ἀναβιβασάμενος ἐπὶ τὸ ἅρμα ὑπεθέμην, ὅπως μὲν χρὴ βεβηκέναι αὐτόν, ἐφ' ὁπόσον δ' ἐς τὸ ἄνω ἀφέντα ὑπερενεχθῆναι, εἶτα ἐς τὸ κάταντες αὖθις ἐπινεύειν.* sed Nonnus duabus Solis

[33] Ovid. 95 sqq.:

denique quidquid habet dives, circumspice, mundus,
eque tot ac tantis caeli terraeque marisque
posce bonis aliquid: nullam patiere repulsam;
deprecor hoc unum, quod vero nomine poena,
non ***honor*** *est* . . .

orationibus non contentus in ipso exitiali Phaethontis cursu Phosphorum comitem loquentem inducit 334 sqq.:

ἀμφοτέρων δὲ
πλαζομένων πεφύλαξο καὶ ἀπλανέων χορὸν ἄστρων
. . .
μηδέ σε δαιτρεύσειε λέων ἢ ταῦρος Ὀλύμπου
αὐχένα κυρτώσας φλογερῇ πλήξειε κεραίῃ.
ἅζεο τοξευτῆρα, τιταινομένης ἀπὸ νευρῆς
μή σε πυριγλώχινι κατακτείνειεν ὀιστῷ,

quae comparaveris cum Ovidianis 79 sqq.:

utque viam teneas nulloque errore traharis,
per tamen adversi gradieris cornua tauri
Haemoniosque arcus violentique ora leonis.

tum mentione iurisiurandi (quod Euripidi debet) interposita in hunc modum pergit:

finierat monitus: dictis tamen ille repugnat
propositumque premit flagratque cupidine currus.
ergo qua licuit genitor cunctatus ad altos
deducit iuvenem, Vulcania munera, currum.

accuratius Nonnus coniunctis Phaethontis Clymenaeque precibus obsecutum esse deum narrat; quem ad exemplar Alexandrinum propius accedere collato Luciano supra probavimus. sequitur altera dei oratio, priusquam filius currum conscendat. at vide mihi, quantopere *πάθος* augeatur, si iuveni impatienti supremis monitis illum et viam commonstrare profecturo et summam equorum curam commendare audimus. itaque fideiussore Luciano hac in re sequendus est Ovidius, qui inserta currus caelestis descriptione [33]) haec narrat (111 ss.):

dumque ea magnanimus Phaethon miratur opusque
perspicit, ecce vigil rutilo patefecit ab ortu
purpureas Aurora fores et plena rosarum
atria. diffugiunt stellae, quarum agmina cogit
Lucifer et caeli statione novissimus exit [34]).

---

[33]) exemplar videtur fuisse Hom. *E* 721, quem sive ipse inspexit seu poeta Alexandrinus exornavit.

[34]) huc facit Nonnus 307:

ἤδη δὲ δροσόεις ἀμαρύσσετο Φωσφόρος ἀστήρ,

qui in sequentibus Phosphorum Phaethontis comitem facit.

consimiliter Quint. Smyrn. III 665: *ἡ δὲ* (Aurora) *καὶ αὐτὴ*
αἰθερίας ὤιξε πύλας, ἐκέδασσε δ' ἄρ' αἴγλην.

Ovid. 116 sqq.:

quem petere ut terras mundumque rubescere vidit
cornuaque extremae velut evanescere Lunae,
iungere equos Titan velocibus imperat Horis.
iussa deae celeres peragunt ignemque vomentes
quadrupedes ducunt adduntque sonantia frena.
tum pater ora sui sacro medicamine nati
contigit et rapidae fecit patientia flammae
imposuitque comae radios praesagaque luctus
pectore sollicito repetens suspiria dixit . . .

plura adnotanda sunt. de Horis Solis ministris dixi in adnot. 28 adscripsique versus Nonnianos:

καὶ θρασὺς εἰς ζυγὸν ἦλθεν Ἑωσφόρος, ἀμφὶ δὲ φαιδρῷ
ἵππιον αὐχένα δοῦλον ἐπεκλήισσε λεπάδνῳ.

ambrosiam equorum caelestium pabulum iam Homerus novit *E* 775 sqq.: *ἔνθ' ἵππους ἔστησε θεὰ λευκώλενος Ἥρη*
λύσασ' ἐξ ὀχέων, περὶ δ' ἠέρα πουλὺν ἔχευεν·
τοῖσιν δ' ἀμβροσίην Σιμόεις ἀνέτειλε νέμεσθαι,

quod inventum poetae Alexandrini varie exornaverunt, veluti Alexander Aetolus de Glauco narrat in Piscatore:

γευσάμενος βοτάνης, ἣν Ἠελίῳ φαέθοντι
ἐν μακάρων νήσοισι λιτὴ φύει εἴαρι γαῖα,
Ἥλιος δ' ἵπποις θυμήρεα δόρπον ὀπάζει
ὕλῃ ναιετάουσαν, ἵνα δρόμον ἐκτελέσωσιν
ἄτρυτοι καὶ μήτιν' ἕλοι μεσσηγὺς ἀνίη.

(Meineke *Anal. Alex.* p. 238), cf. Stat. Theb. III 410 ss. Ov. met. IV 214. paullo aliter Claudian. de rapt. Proserp. III 400:

tum ne deficerent tantis erroribus ignes,
semper inocciduos insopitosque manere
iussit et arcano perfudit robora suco,
quo Phaethon irrorat equos, *quo Luna iuvencos.*

de medicamine Phoebi non memini me apud veteres legisse. habitum dei ita describit Nonnus 291 ss.:

ὣς εἰπὼν Φαέθοντος ἐπεστήριξε καρήνῳ
χρυσείην τρυφάλειαν, ἑῷ δέ μιν ἔστεφε πυρσῷ,

ἑπταπόρους ἀκτῖνας ἐπὶ πλοκάμοισιν ἑλίξας,
καί μιν ἀνεχλαίνωσεν ἑῷ πυρόεντι χιτῶνι
κυκλώσας στεφανηδὸν ἐπ' ἰξύι λευκάδα μίτρην
καὶ πόδα φοινίσσοντι διεσφήκωσε πεδίλῳ.

quae ne a Nonno ipso inventa esse statuamus impedit simillima descriptio et apud Valerium Flaccum, quem Wieselerus (*Phaethon* p. 32 n. 4) laudavit (IV 92 ss.):

Sol auricomis urgentibus Horis
multifidum iubar et bisseno sidere textam
loricam induitur, ligat hanc qui nubila contra
balteus undantem variat mortalibus arcum

et in hymno pseudohomerico (31) serioris aetatis v. 9 sqq.:

σμερδνὸν δ' ὅγε δέρκεται ὄσσοις
χρυσέης ἐκ κόρυθος, λαμπραὶ δ' ἀκτῖνες ἀπ' αὐτοῦ
αἰγλῆεν στίλβουσι, παρὰ κροτάφων δὲ παρειαὶ
λαμπραὶ ἀπὸ κρατὸς χαρίεν κατέχουσι πρόσωπον
τηλαυγές· καλὸν δὲ περὶ χροῒ λάμπεται ἔσθος
λεπτουργὲς πνοιῇ ἀνέμων·

et Ovidius quoque similia praebet velut 23:

purpurea velatus veste sedebat
in solio Phoebus (*ἐπὶ δίφρῳ ὑψιπόρῳ* Nonn. 194)

40: *at genitor circum caput omne micantes*
deposuit radios

124: *imposuitque comae radios.* cf. Stat. Theb. III 411.

Sequitur altera Phoebi oratio:

si potes his saltem monitis parere paternis,
parce puer stimulis et fortius utere loris. alterius versus hemistichium ad Luciferum transtulit Nonnus 333:

πῇ φέρεαι, φίλε κοῦρε; τί μαίνεαι ἵππον ἐλαύνων;
φείδεο σῆς μάστιγος ἀγήνορος .., ut de fonte utriusque poetae iam nulla sit dubitatio. porro quae illis adnexuit Ovidius:

sponte sua properant, labor est inhibere volentes,

ita expressit Lucianus . . . *καὶ ὡς ἐγκρατῆ εἶναι τῶν ἡνιῶν καὶ μὴ ἐφιέναι τῷ θυμῷ τῶν ἵππων,* denique similitudo intercedit inter Ovidium:

nec tibi directos placeat via quinque per arcus:
sectus in obliquum est lato curvamine limes

et Nonnum 257 ss.:

μηδὲ τανυπλέκτων ἑλίκων πολυκαμπέϊ δεσμῷ
πέντε παραλλήλων δεδοκημένος ἄντυγα κύκλων
οἶστρον ἔχοις καὶ νύσσαν ὁμήθεα πατρὸς ἐάσῃς,

quae itidem ex altera Solis oratione petita sunt. quin etiam alteri versui Ovidiano paene respondet Nonnianus 225:

λοξὴ πουλυέλικτος ἀταρπιτός ἐστι πλανήτων
ἀσταθέων,

etiamsi in illo de Solis eclipsi sola agitur. neque equidem dubito, quin si carmen ipsum servatum esset, compluria imitationis vestigia deprehensuri fuerimus, etiamsi multa de suo addidisse Nonnum hominem doctrinae astrologicae studiosissimum vix est quod negaveris. ceterum tota oratio non satis perspicua est versuumque ordo, quem violentis transpositionibus restituere conatus est Koechly, sine dubio turbatus. itaque quid in hac carminis parte praestiterit poeta Alexandrinus non patet; quem multum praestitisse crediderim, cum praeclarissimum exemplar ante oculos certe haberet Euripidem, de quo scriptor de sublimitate 15, 4: *τῷ γοῦν Φαέθοντι παραδιδοὺς τὰς ἡνίας ὁ Ἥλιος*

ἔλα δὲ μήτε Λιβυκὸν αἰθέρ' εἰσβαλών·
κρᾶσιν γὰρ ὑγρὰν οὐκ ἔχων ἁψῖδα σὴν
κάτω διήσει . . .[35]

φησίν, εἶθ' ἑξῆς

ἵει δ' ἐφ' ἑπτὰ Πλειάδων ἔχων δρόμον.
τοσαῦτ' ἀκούσας παῖς[36] *ἔμαρψεν ἡνίας·*
κρούσας δὲ πλευρὰ πτεροφόρων ὀχημάτων
μεθῆκεν, αἱ δ' ἔπταντ' ἐπ' αἰθέρος πτύχας.
πατὴρ δ' ὄπισθε νῶτα σειραίου βεβὼς

---

35) cf. Ovid. 135: *nec preme nec summum molire per aethera currum.*

36) cod. P. *τις*, ex quo *παῖς* restituit H. Grotius *εἶτ'* Manutius. perperam addidit Meinekius (*Analect. crit. ad Athen.* p. 232) duos versus ex eadem ut putavit Solis oratione a Clemente Alexandrino paed. III 2 (p. 222 Sylb.) servatos, quos ita restituit:

μή μοι θίγῃς τῶν ἡνιῶν ἄπειρος ὤν,
μηδ' ἐπαναβῇς τὸν δίφρον οὐ μαθὼν ἐλᾶν.

ἵππευε παῖδα νουθετῶν· ‘ ἐκεῖσ’ ἔλα,
τῇδε στρέφ’ ἅρμα, τῇδε ’ —

pericula viae paucis verbis Lucianus tangit: *εἶπον δὲ καὶ ἡλίκον ὁ κίνδυνος, εἰ μὴ ὀρθὴν ἐλαύνοι*, cf. Ovid. 133 sqq.:

hac sit iter: manifesta rotae vestigia cernes.
utque ferant aequos et caelum et terra calores,
nec preme nec summum molire per aethera currum;
altius egressus caelestia tecta cremabis,
inferius terras . . .

addens in fine orationis preces ut incepto absistat. sed

occupat ille levem iuvenili corpore currum
statque super manibusque datas contingere habenas
gaudet et invito grates agit inde parenti,

quae pulcre exornavit Nonnus 301 sqq.:

καὶ Φαέθων ἐπέβαινε· δίδου δέ οἱ ἡνία πάλλειν,
ἡνία μαρμαίροντα καὶ αἰγλήεσσαν ἱμάσθλην
Ἥλιος γενέτης· τρομερῇ δ’ ἐλελίζετο σιγῇ
υἱέα γινώσκων μινυνώριον· ἐγγύθι δ’ ὄχθης
ἡμιφανὴς Κλυμένη φλογερῶν ἐπιβήτορα δίφρων
δερκομένη φιλότεκνος ἐπάλλετο χάρματι μήτηρ.

Clymenae mentio prodit imitationem exemplaris Alexandrini, quo profecto digna est haec descriptio ab Ovidio consulto omissa. nam Clymena Meropis uxor, quam ex Euripidis fabula retinuit, hoc loco memorari non poterat.

Interea volucres Pyrois et Eous et Aethon
Solis equi quartusque Phlegon hinnitibus auras
flammiferis implent pedibusque repagula pulsant.
quae postquam Tethys fatorum ignara nepotis
reppulit et facta est immensi copia caeli,
corripuere viam —

omissa Tethy de qua supra diximus Nonnus, qui praeterea nomina equorum reticet [37]), nihil nisi haec habet:

---

[37]) de Solis equis cf. Hygin. fab. 183: *Eous; per hunc caelum verti solet. Aethops quasi flammeus est,* concoquit fruges. *hi funales sunt mares, feminae iugariae: Bronte quae nos tonitrua appellamus, Sterope quae fulgitrua. huic rei auctor est Eumelus Corinthius.* quae ne uni Eumelo adscribas impedit Euripidis frg. inc. ap. Ath. XI 465b: *διόπερ καὶ Εὐριπίδης ἕνα τῶν Ἡλίου ἵππων φησὶν εἶναι*

ἤδη δὲ δροσόεις ἀμαρύσσετο Φωσφόρος ἀστήρ,
καὶ Φαέθων ἀνέτελλεν ἑώιον ἄντυγα βαίνων
ὕδασι παππῴοισι λελουμένος Ὠκεανοῖο,

quae utpote de aedibus marinis dicta sine negotio consociari possunt cum Tethyis munere. ceterum cum totum Phaethontis cursum inde ab oriente usque ad occidentem persecutus sit poeta Alexandrinus, necesse est fabulam Euripideam quae in oriente agitur cum Hesiodea quae in occidente agitur in unam contaminaverit [38]).

Qua de causa in cursu ipso equi permoti a recta via aberraverint, Ovidius Nonnus Lucianus videntur dissentire. sed primo tantum obtutu dissentiunt: si acrius inspexeris, consentire illos apparebit, modo rerum ordinem a Nasone immutatum esse statueris. narrat enim initio cursus Solis equos insolita ponderis levitate consternatos perturbationem siderum effecisse, Phaethontem currus flectendi inscium oculis in terram deflexis exhorruisse, tamen habenas adduxisse, cum terribile Scorpionis sidus conspexisset, tremefactum remisisse. aliter Nonnus 310 sqq.:

Βακχίου φιλανθέμου
Αἴθοπα πεπαίνοντ' ὀρχάτους ὀπωρινούς . . .

unde *Aethops* (cod. *Aethyops*) Hygino reddidit M. Schmidtius. Eumeli fragmentum turpiter omisit Kinkelius. apud schol. Eurip. Phoen. 3: *τέσσαρες δέ εἰσι* <Solis equi> *Χρόνος Αἴθω Ἀστραπή Βροντή* optime *Αἴθων* Spanhemius *Ἠῷος* Valckenarius correxerunt. hi duo recurrunt apud Ovidium, at probabile est et Pyroentem et Phlegontem ex auctore suo esse translatos. ceterum Aethon Hectoris equus legitur Hom. Θ 185 in versu spurio (cf. schol.). plura dabit Jeschonnek *de nom. quae Graeci pecudibus domesticis indiderunt* (diss. Regimont. 1885) p. 31 ss.

[38]) monet pater filium 287: *ἀρχόμενος δὲ δρόμοιο μετέρχεο γείτονα Κέρνην*, sc. insulam Aethiopiae confinem, de qua locus classicus ap. Plin. n. h. VI 198 s; adde Eratosth. ap. Strab. I 47, Dionys. Per. 217 c. schol. Nonnus vero nescio an hoc loco nomen ipsum ex Lycophrone Alex. 16 sqq.:

Ἕως μὲν αἰπὺν ἄρτι Φήγιον πάγον
κραιπνοῖς ὑπερποτᾶτο Πηγάσου πτεροῖς
Τιθωνὸν ἐν κοίταισι ταῖς Κέρνης πέλας
λιποῦσα

petiverit, quem imitatus est XXXIII 183 sqq.:

(Amor) *πτερόεις πεπότητο δι' αἰθέρος· ἀμφὶ δὲ Κέρνη*
κυκλώσας πτερὰ κοῦφα βολαῖς ἀντώπιος Ἠοῦς
ἵπτατο μειδιόων, cf. XVI 45, XXXVI 6.

καὶ θρασὺς εὐφαέων ἐλατὴρ ὑψίδρομος ἵππων
οὐρανὸν ἐσκοπίαζε χορῷ κεχαραγμένον ἄστρων
ἑπτὰ περὶ ζώναις κυκλούμενον· εἶδεν ἀλήτας
ἀντιπόρους καὶ γαῖαν ὁμοίιον ἔδρακε κέντρῳ
μεσσοπαγῆ δολιχῇσιν ἀνυψωθεῖσαν ἐρίπναις,
παντόθι πυργωθεῖσαν ὑπωροφίοισιν ἀήταις·
καὶ ποταμοὺς σκοπίαζε καὶ ὀφρύας Ὠκεανοῖο
ἂψ ἀνασειράζοντος ἑὸν ῥόον εἰς ῥόον ὕδωρ.
ὄφρα μὲν ὄμμα τίταινεν ἐς αἰθέρα καὶ χύσιν ἄστρων
καὶ χθονὸς αἰόλα φῦλα καὶ ἄστατα νῶτα θαλάσσης,
παπταίνων ἑλικηδὸν ἀτέρμονος ἕδρανα κόσμου,
τόφρα δὲ δινηθέντες ὑπὸ ζυγὸν αἴθοπες ἵπποι
ζῳδιακοῦ παράμειβον ἐθήμονος ἄντυγα κύκλον.[39])

quae egregie confirmantur Manilii qui dicitur testimonio non solum hoc loco laudandi I 735 sqq.:

fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis,
Phaethontem patrio curru per signa volantem,
dum nova miratur propius spectacula mundi
et puer in caelo ludit curruque superbus
luxuriat mundo cupit et maiora parente,
monstratas liquisse vias . . .

verbis *monstratas liquisse vias* commonemur Solis praeceptorum. doctum poetam Alexandrinum audire mihi videor, nam simili commento Eratosthenes Mercurium caeli sidera contemplantem fecerat (Hiller *Eratosth. carm. reliq.* p. 38 ss. 47 ss.). atque maxime dolendum nullum superesse fragmentum, quod cum hoc comparari possit: intellegeremus fortasse, uter utrum imitatus esset. primum igitur caeli miracula contemplatur iuvenis, deinde oculis subtus deflexis terram conspicit atque exhorrescit — hoc enim recte addit Lucianus: *ὁ δὲ — παῖς γὰρ ἦν — ἐπιβὰς τοσούτου πυρὸς* (*igniferum axem* Ovidii videtur expressisse) *καὶ ἐπικύψας ἐς βάθος ἀχανὲς ἐξεπλάγη ὡς τὸ εἰκός.*[40]) interim equi simulatque leve rectoris pondus sensere consternati sunt: *οἱ δὲ ἵπποι ὡς ᾔσθοντο*

---

[39]) versus 312 propter iteratos spondeos 315 propter sententiam perversam corrupti.

[40]) hinc lux adfunditur Hygini verbis *cumque a terra altius levaretur, prae timore in Eridanum fluvium decidisse.*

οὐκ ὄντα ἐμὲ τὸν ἐπιβεβηκότα καταφρονήσαντες τοῦ μειρακίου ἐξετρά-ποντο τῆς ὁδοῦ. sic etiam Ovidius, quamquam omissa caeli contemplatione non satis apte initio cursus hoc posuit (161 ss.):

> *sed leve pondus erat nec quod cognoscere possent*
> *Solis equi, solitaque iugum gravitate carebat*
> . . .
> *quod simulac sensere, ruunt tritumque relinquunt*
> *quadriiugi spatium nec quo prius ordine currunt.*

sed quae memoranda antea fuerunt quodam modo postea supplevit, cum dimidio fere cursu peracto adulescentulum et despicientem faciat et caelum contemplantem:

> *ut vero summo despexit ab aethere terras*
> *infelix Phaethon penitus penitusque iacentes,*
> *palluit et subito genua intremuere timore* (178 sqq.)
> . . . . . .
> *sparsa quoque in vario passim miracula caelo* [41])
> *vastarumque videt trepidus simulacra ferarum* (193 s.).

restat unum. Solem admonentem audivimus ne immodice flagello uteretur, quod ex communi fonte a Nonno Ovidioque translatum esse constat: expectamus igitur Phaethontem praecepti immemorem flagello usum saevire in equos. et re vera, cum ceteri taceant, unus refert Nonnus 323 sqq.:

> *καὶ Φαέθων ἀδίδακτος ἔχων πυρόεσσαν ἱμάσθλην*
> *μαίνετο μαστίζων λόφον ἵππιον· οἱ δὲ μανέντες*
> *κέντρον ὑποπτήσσοντες ἀφειδέος ἡνιοχῆος*
> *ἀρχαίης ἀέκοντες ὑπὲρ βαλβῖδα κελεύθου*
> *ἀξονίην παρὰ νύσσαν ἀλήμονες ἔτρεχον ἵπποι*
> *δεχνύμενοι κτύπον ἄλλον ἀήθεος ἡνιοχῆος.*

ita commode ex Nonno narratio Ovidiana suppletur. contra cum Sol Nonnianus in fine admonitionum Scorpionem ut caveat filium admonuerit (264 ss.):

> *γείτονα μὴ μάστευε προάγγελον ἱστοβοῆος*
> *σκορπίον ἀστερόφοιτον ὑπὸ ζυγὸν ἡνιοχεύων,*

intellegimus versus Ovidii 195 ss.:

---

[41]) cf. Nonn. 311: *οὐρανὸν ἐσκοπίαζε χορῷ κεχαραγμένον ἄστρων.* ceterum memoriam Euripideam immiscuit Ovidius 183 s.:

> *iam cognosse genus piget et valuisse rogando;*
> *iam Meropis dici cupiens ita fertur . . .*

est locus, in geminos ubi bracchia concavat arcus
scorpius et cauda flexisque utrimque lacertis
porrigit in spatium signorum membra duorum.
hunc puer ut nigri madidum sudore veneni
vulnera curvata minitantem cuspide vidit,
mentis inops gelida formidine lora remisit. [42])

haec autem solita levitate praetermisit poeta Panopolitanus, qui omnino in turba et caelestium rerum et terrestrium describenda parum praesidii nobis praebebit.

Venimus enim ad eam carminis partem, quam auctor Hesiodo ut par est conicere duce docte exornavisse censendus est: terrae dico incendium siderum tumultum. de illo copiosissime a Nasone descripto fere nihil refert Nonnus, cum multus sit de siderum tumultu, quem paucis attingit Ovidius. neque vero quisquam dubitabit, quin uterque ingenio suo luxurianti indulserit. ille enim ingenti verborum ambitu usus more aetatis suae siderum cognitionem inepte iactat, hic longam montium fluminumque incensorum seriem non sine doctrinae ostentatione — conferas Callimachum in Del. 100 ss. — producit. eminet apud Ovidium insigne de trionibus commentum 170 sq.:

tum primum radiis gelidi caluere triones
et vetito frustra temptarunt aequore tingui,

inventionis laus ipsi tribui solet ab interpretibus,[42a]) at auctori suo debet teste Nonno 408 sq.:

οὐκέτι δ' ὑψιπόροιο Βορειάδος ἐγγύθι νύσσης
ἀλλήλων ἐχόρευον ἐπ' ἰξύι κυκλάδες ἄρκτοι,
ἀλλὰ Νότῳ μίσγοντο καὶ Ἑσπερίῃ παρὰ λίμνῃ
ἄβροχον ἴχνος ἔλουσαν ἀήθεος Ὠκεανοῖο,

nisi quod suo more rem exaggerat. cetera sidera vix possunt inter se conferri (cf. Ovid. 173 et Nonn. 356 sq. Ovid. 176 et Nonn. 362); plura posthac dicentur, ubi de catasterismis copiose agemus. sufficit hoc loco adnotasse quid ceteri de siderum

---

[42]) cf. Philostr.: *καὶ μὴ κατασχόντα τὴν ἡνίαν σφαλῆναι . . . καὶ οἱ ἵπποι τῆς ζεύγλης ἐκπεσόντες οἴστρῳ φέρονται.* Lucian: *εἰ γὰρ ἐνδοίη τις,* Iuppiter inquit, *ἀφηνιάζουσιν εὐθύς, ὥσπερ ἀμέλει καὶ τοῦτον ἐξήνεγκαν, ἄρτι μὲν ἐπὶ τὰ λαιά, μετ' ὀλίγον δὲ ἐπὶ τὰ δεξιά καὶ ἐς τὸ ἐναντίον τοῦ δρόμου ἐνίοτε, καὶ ἄνω καὶ κάτω, ὅλως ἔνθα ἐβούλοντο αὐτοί.* cf. Nonn. 347 sqq. Ovid. 204 sqq.

[42a]) Ovidium imitatus est Claudianus de rapt. Pros. II 188 sqq.

tumultu memoriae prodiderint. nihil exhibet Lucianus nisi verbis *καὶ ὅλως οὐδὲν ὅτι οὐ ξυνετάραξε καὶ ξυνέχεε* perturbationem totius mundi brevissime comprehendit, plura Manilius originem circuli lactei explicans 740 sqq.:

orbemque recentem
imposuisse polo nec signa insueta tulisse
errantes nutu flammas currumque solutum
deflexum solito cursu curvisque quadrigis.
quid querimur flammas totum saevisse per orbem
terrarumque rogum cunctas arsisse per urbes,
cum vaga dispersi fluitarunt lumina currus
et caelum exustum est? luit ipse incendia mundus
et nova vicinis flagrarunt sidera flammis
nunc quoque praeteriti faciem referentia casus,[43])

pauca denique Philostratus: *καὶ συγχεῖται τὰ οὐράνια. σκόπει γάρ· νὺξ μὲν ἐκ μεσημβρίας ἐλαύνει τὴν ἡμέραν, ὁ δὲ ἡλίου κύκλος ἐς γῆν ῥέων ἕλκει τοὺς ἀστέρας* (haec ab ipso rhetore addita sunt, cf. Hom. Θ 486), *αἱ δὲ Ὧραι τὰς πύλας ἐκλιποῦσαι φεύγουσιν ἐς τὴν ἀπαντῶσαν αὐταῖς ἀχλύν.* comparaveris Nonnum 330 s.:

οὐρανίῳ δὲ παριστάμεναι πυλεῶνι
ἀλλοφανὲς νόθον ἦμαρ ἐθάμβεον εὔποδες Ὧραι.

Et hic quidem quamvis totus in caelo tamen terram semel respicit, cum Atlantem aucto caeli pondere oneratum in hunc modum describat (350 ss.):

ἐδοχμώθη δὲ καὶ αὐτὸς
αἰθέρι δινήεντι μέσος κυκλούμενος ἄξων
καὶ μόγις αὐτοέλικτον ἐλαφρίζων πόλον ἄστρων
ὀκλαδὸν ἐστήρικτο Λίβυς κυρτούμενος Ἄτλας
μείζονα φόρτον ἔχων·

quae ex Telluris indignatione desumpta esse docet Ovidius 296:

Atlas en ipse laborat
vixque suis umeris candentem sustinet axem.

nam Telluris partes fuisse in communi imitatorum exemplari Philostratus testatur ita illam depingens: *ἀπαγορεύει δὲ ἡ Γῆ καὶ*

[43]) v. 740 Bentleio praeeunte scripsi *orbemque recentem (regentem* libri); ordinem versuum 741 et 743 a Jacobio temere immutatum restitui. *nutu* (v. 743) corruptum est; *meta* ci. Bentleius.

τὰς χεῖρας αἴρει ἄνω τοῦ ῥαγδαίου πυρὸς εἰς αὐτὴν ἰόντος cl. Ovid. 272 ss.:

alma tamen Tellus . . .
sustulit oppressos collo tenus arida vultus
opposuitque manum fronti magnoque tremore
omnia concutiens paullum subsedit et infra
quam solet esse fuit siccaque ita voce locuta est:

eiusdem querelarum vestigium remansit apud Nonnum, ubi Lucifer 344:

μὴ χάος ἄλλο γένοιτο

cf. Ovid. 298 sq.:

si freta, si terrae pereunt, si regia caeli,
in chaos antiquum confundimur.

concentus in eadem versus sede poetam Alexandrinum arguit, apud quem Telluris querelas ex parte a Nonno inficete ad Luciferum translatas extitisse iam puto perspicuum erit [44]. contra montium fluviorumque seriem a Nasone decantatam imitatori ipsi tribuendam esse iam dixi neque invenio quod ad illum referam [45].

De morte Phaethontis haec narrat Ovidius 304 sqq.:

at pater omnipotens superos testatus et ipsum
qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato
interitura gravi, summam petit arduus arcem,

---

[44]) quod Tellus queritur v. 295 *fumat uterque polus* conferas cum Quinto Smyrnaeo X 192 ss., qui Heliades in scuto Philoctetae repraesentatas esse fingit:

ἐν δὲ βίῃ Φαέθοντος ἀνὰ ῥόον Ἠριδανοῖο
βλήμενος ἐκ δίφροιο· καταιθομένης δ' ἄρα γαίης,
ὡς ἐτεόν περ, ἄητο μέλας ἐνὶ ἠέρι καπνός.

cf. Stat. Theb. I 221.

[45]) aliquotiens Ovidius acumina captat, veluti 235 s.:

sanguine tum credunt in corpore summa vocato
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem,

quod ex Ovidio interpolator fabulae Hyginianae 154 desumpsit. sed dignum mentione mihi videtur, cum non solum discrepet ab Euripide 771:

καλοῦσι δ' αὐτὴν γείτονες μελάμβροτοι
Ἕω φαεννὰς Ἡλίου θ' ἱπποστάσεις,

sed fortasse etiam huc spectet schol. Dionys. Per. 291: *μυθεύεται γὰρ οὕτως, ὅτι ποτὲ ὑπὸ τοῦ πατρὸς Ἡλίου πιστευθεὶς ὁ Φαέθων τοῦ ἐλάσαι τὸ ἅρμα ἀτακτότερον αὐτὸ φέρων τὴν πρώτην ἔκαυσε ζώνην τὴν κεκαυμένην* (cf. Ov. 237: *tum facta est Libye raptis umoribus aestu Arida*), etsi de *τοπικῷ ἐμπρησμῷ* (cf. Plat. Tim. 22c) agit grammaticus.

unde solet latis nubis inducere terris,
unde movet tonitrus vibrataque fulmina iactat.
sed neque quas posset terris inducere nubes
tunc habuit nec quos caelo demitteret imbres [46]).
intonat et dextra libratum fulmen ab aure
misit in aurigam pariterque animaque rotisque
expulit et saevos compescuit ignibus ignes.

multo brevius Nonnus 410 sq.:

Ζεὺς δὲ πατὴρ Φαέθοντα κατεπρήνιξε κεραυνῷ
ὑψόθεν αὐτοκύλιστον ὑπὲρ ῥόον Ἠριδανοῖο.

qui comes in via lubrica quamvis levis tamen acceptissimus nobis iam fere deserendus est, cum ambagum ut videtur pertaesus narrationem suam raptim ad finem perduxerit. ita factum est, ut reticuerit non nulla quae ducibus Ovidio Lucianoque auctori reddere conabimur. et ille quidem interpositis aliquot versibus [47]) in hunc modum pergit (323 ss.):

---

[46]) quae de his versibus dixit Robertus l. l. p. 440: *wenn Ovid met. II 309 von Zeus sagt, dafs er*

neque quas posset terris inducere nubes
tunc habuit nec quos caelo demitteret imbres,

so sieht das ganz wie polemik gegen die poetische von Hesiod abhängige tradition aus, concidant necesse est, siquidem primo huius commentationis capite diluvium ab incendio Phaethonteo seiungendum esse probavi. (cf. p. 7 sq.) ceterum apud Nonnum Iovis iussu 416 ss.:

γαῖα δὲ πᾶσα γέλασσε τὸ δεύτερον· ἠερόθεν δὲ
ζωοτόκου Διὸς ὄμβρος ὅλας ἐκάθηρεν ἀρούρας,
καὶ διερῇ ῥαθάμιγγι κατέσβεσε πυρσὸν ἀλήτην,
ὅσσον ἐπὶ χθόνα πᾶσαν ἐριφλεγέων ἀπὸ λαιμῶν
οὐρανόθεν χρεμέθοντες ἀπέπτυον αἴθοπες ἵπποι,

quae Ovidius Arcadicam fabulam de Callisto narraturus scite transfert ad Arcadiam v. 405 sqq. ceterum non omittendus Lucianus: *ὃς τὰ μὲν κατέφλεξε πρόσγειος ἐνεχθείς, τὰ δὲ ὑπὸ κρύους διαφθαρῆναι ἐποίησε πολὺ αὐτῶν ἀποσπάσας τὸ πῦρ* (cf. Pseudoluc. de astrol. 19, qui Lucianum exscribit).

[47]) currus caelestis temonem axemque revulsum et rotas fractas (316 s.) etiam Iuppiter Lucianeus memorat: *σὺ δὲ ξυμπηξάμενος τὸ ἅρμα — κατέαγε δὲ καὶ ὁ ῥυμὸς αὐτοῦ καὶ ἅτερος τῶν τροχῶν συντέτριπται — ἔλαυνε ὑπαγαγὼν τοὺς ἵππους.* ex Ovidio pendet Valerius Flaccus V 431:

at iuga vix Tethys sparsumque recolligit axem
et formidantem patrios Pyroenta dolores,

quem procul a patria diverso maximus orbe
excipit Eridanus fumantiaque abluit ora.
naides Hesperiae trifida fumantia flamma
corpora dant tumulo, signant quoque carmine saxum:
'hic situs est Phaethon currus auriga paterni,
quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis'.

Ab Eridano iuvenem exceptum esse omnes uno ore testantur, ut testimonia enumerare supervacaneum sit. at quem fluvium in animo habuerit poeta Alexandrinus equidem diiudicare non ausim, praesertim cum caelo illum inseruerit, de quo proxima paragrapho agam. de Eridano magna lis fuit vel apud viros doctos Alexandrinos: alii Padum Rhodanum alii dixerunt (Philosteph. ap. schol. Dionys. Per. 289). utramque sententiam ita conciliavit Apollonius Rhodius, ut Rhodanum cum Eridano (i. e. Pado) coniunctum diceret IV 627 sqq. Ovidius cum Rhodanum Padumque inter flumina incendio Phaethontis tacta enumeraverit (258) neutrum videtur intellexisse et quod corpus Phaethontis ab Hesperiis nymphis sepultum esse voluit, hoc quoque proprium sibi narravit. certe Lactantius Placidus adnotat de Cycno: *cum vidisset corpus Phaethontis a sororibus eius ablui, pari calamitate est concussus.* confirmant et Lucianus: *ὥστε ἐκεῖνον μὲν αἱ ἀδελφαὶ θαπτέτωσαν ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ, ἵναπερ ἔπεσεν ἐκδιφρευθεὶς ἤλεκτρον ἐπ' αὐτῷ δακρύουσαι* et Stat. Theb. XII 413:

---

cf. Ov. 398 s. sed maxime notabiles sunt versus Ovidiani 319 sqq.:

at Phaethon rutilos flamma populante capillos
volvitur in praeceps longoque per aera tractu
fertur, ut interdum de caelo stella sereno
etsi non cecidit, potuit cecidisse videri

ob simillimum colorem qui inest Euripideis:

ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα διοπετὴς ὅπως
ἀστὴρ ἀπέσβη πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα (fr. inc. 961)

temere Phaethonti tributum ab Hartungio *Eur. rest.* II 203. hunc colorem igitur aut Naso de suo immiscuit aut auctor eius, qui certe Phaethontem inter astra rettulit. ceterum haud absimilia exhibet Philostratus: *ἐκπίπτει δὲ τὸ μειράκιον καὶ καταφέρεται· τήν τε γὰρ κόμην ἐμπέπρησται (rutilos flamma populante capillos).* de *rutilis capillis* videndus Nonn. 153 sq.

sic Hyperioneum tepido Phaethonta sorores
fumantem lauere Pado . . .

neque querelas matris 333 sqq.:

at Clymene postquam dixit quaecumque fuerunt
in tantis dicenda malis, lugubris et amens
et laniata sinus totum percensuit orbem;
exanimesque artus primo, mox ossa requirens
repperit ossa tamen peregrina condita ripa,

quae in memoriam revocant Eur. frg. 781 et 783, habeo quo referam.[48]) haec igitur incerta manent; certius iudicare licet de Heliadum transformatione, quam certatim testantur Ovidius Lucianus Philostratus Nonnus, ut dubitandum non videatur quin ex communi fonte fluxerit. praeivit poetae Hesiodus, cuius narrationem ab illo exornatam fuisse veri simillimum est.[49]) paucis attingit Lucianus, paucis etiam Nonnus in fine libri:

---

[48]) Ovidium ante oculos habuit auctor consolationis ad Liviam 111 sq.:

sic flevit Clymene sic et Clymeneides, alte
cum iuvenis patriis excidit ictus equis.

non absimiles Lunae luctus de Sole necato apud Diodor. III 57 <ex Dionysio Scytobrachione>.

[49]) transformatas Heliades describit Apollon. IV 603 sqq.:

ἀμφὶ δὲ κοῦραι
Ἡλιάδες ταναῇσιν ἐελμέναι αἰγείροισιν
μύρονται κινυρὸν μέλεαι γόον· ἐκ δὲ φαεινὰς
ἠλέκτρου λιβάδας βλεφάρων προχέουσιν ἔραζε,
αἵ μέν τ' ἠελίῳ ψαμάθοις ἔπι τερσαίνονται·
. . . . . .
νύκτας δ' αὖ γόον ὀξὺν ὀδυρομένων ἐσάκουον
Ἡλιάδων λιγέως· τὰ δὲ δάκρυα μυρομένῃσιν
οἷον ἐλαιηραὶ στάγες ὕδασιν ἐμφορέοντο,

quem imitatus est Culicis auctor 127 sqq.:

at quibus insigni curru proiectus equorum (Apoll. 598)
ambustus Phaethon luctu mutaverat artus
Heliades teneris implexae bracchia truncis
candida fundebant tentis velamina ramis.

de genere arborum dissentiunt. populos secundum famam vulgarem Vergilius Aen. X 190 dicit, alnos ecl. VI 61 sq.:

tum canit Hesperidum miratam mala puellam,
tum Phaethontiadas musco circumdat amarae
corticis atque solo proceras erigit alnos.

γνωταὶ δ' ὠκυμόροιο δεδουπότος ἡνιοχῆος
εἰς φυτὸν εἶδος ἄμειψαν, ὀδυρομένων δ' ἀπὸ δένδρων
ἀφνειὴν πετάλοισιν καταστελάουσιν ἔερσην,

multo copiosius Philostratus, quocum non semel concinit Ovidius. documento haec sunto: Ovid. 346 sqq.:

e quis Phaethusa sororum
maxima cum vellet terra procumbere, questa est
deriguisse pedes. ad quam conata venire
candida Lampetie subita radice retenta est.
tertia cum crinem manibus laniare pararet,
avellit frondes; haec stipite crura teneri,
illa dolet fieri longos sua bracchia ramos.
dumque ea mirantur, conplectitur inguina cortex
perque gradus uterum pectusque umerosque manusque
ambit et extabant tantum ora vocantia matrem.

Philostratus: *τὰ δὲ ἐπὶ τῇ ὄχθῃ γύναια, αἳ οὔπω δένδρα, φασὶ τὰς Ἡλιάδας ἐπὶ τῷ ἀδελφῷ μεταφῦναι καὶ ἐς δένδρα λῆξαι δάκρυά τε ἀφιέναι. <καὶ ἡ γραφὴ ταῦτα οἶδε·> ῥίζας γὰρ βαλλομένη ταῖς παρυφαῖς τὰ μὲν ἐς ὀμφαλὸν δένδρα αὗται, τὰς δὲ χεῖρας ὄζοι φθάνουσι. φεῦ τῆς κόμης ὡς αἰγείρου πάντα· φεῦ τῶν δακρύων ὡς χρυσᾶ . . .*

Ovid. 364 sq.:

inde fluunt lacrimae stillataque sole rigescunt
de ramis electra novis, quae **lucidus amnis**
excipit et nuribus mittit gestanda Latinis.

Philostr. de ¦Eridano: . . . *τὰς δ' Ἡλιάδας γεωργήσει αὐτίκα·*

---

ceterum *αἴγειρος* arbor Proserpinae sacra (cf. p. 11) cognata est *τῇ λεύκῃ*, quae etiam *ἀχερωΐς* audit — solet enim *ἡ λεύκη ἐξαιγειροῦσθαι* (Theophr. caus. pl. II 16, 2) — cf. schol. A B Hom. *N* 389 *ἀχερωΐς*] *ἡ λεύκη παρὰ τὸ ἐκ τοῦ Ἀχέροντος ποταμοῦ τῶν καταχθονίων* <Eridanum fluvium inferorum verbo tetigisse sat erit> *κομισθῆναι αὐτὴν ὑπὸ Ἡρακλέους στεψαμένου αὐτὴν ἐπὶ τῇ Κερβέρου νίκῃ* <cf. Eratosth. ap. schol. A Theocr. II 121> et schol. A Hom. *Π* 482 . . . *ἔνιοι δὲ φηγοῦ εἶδος εἶπον αὐτήν*, quocum mirifice concinit transformatio Heliadum ap. schol. Marc. Eurip. Hipp. 732: *ἐν δὲ τῷ Ἠριδανῷ αἱ Ἡλιάδες κόραι τὸν Φαέθοντα δακρύουσαι εἰς φηγοὺς* <Vatic. *εἰς αἰγείρους*> *μετεβλήθησαν.* fabellam de Leuce Oceani filia ap. schol. Verg. ecl. VII 61 serioris aetatis missam facio.

αὔραις γὰρ καὶ κρυμοῖς, οὓς ἀναδίδωσι, λιθουργήσει καὶ πεσόντα ὑποδέξεται καὶ διὰ φαιδροῦ τοῦ ὕδατος ἀπάξει τοῖς ἐν Ὠκεανῷ βαρβάροις τὰ τῶν αἰγείρων ψήγματα. accedit quod sarcophagi Heliades et lugentes et abeuntes in arbores exhibent.

Cycni transformatione de qua posthac disputabo interiecta poeta Romanus pergit (381 sqq.):

squalidus interea genitor Phaethontis et expers
ipse sui decoris, qualis cum deficit orbem
esse solet, lucemque odit seque ipse diemque
datque animum in luctus et luctibus adicit iram
officiumque negat mundo . . .
talia dicentem circumstant omnia Solem
numina neve velit tenebris inducere rebus
supplice voce rogant: missos quoque Iuppiter ignes
excusat precibusque minas regaliter addit.

hinc lux adfunditur versibus extemporalibus Q. Sulpicii Maximi *τίσιν ἂν λόγοις χρήσαιτο Ζεὺς ἐπιτιμῶν Ἡλίῳ ὅτι τὸ ἅρμα ἔδωκε Φαέθοντι,* quibus idem argumentum tractat atque Lucianus deorum dialogo 25 ad reconcinnandum carmen Alexandrinum a nobis adhibito. Sulpicium versificem puerilem removerit quispiam fretus eis quae Kaibelius *Epigr. graec.* p. 252 disputavit, neminem nisi Ovidium ab illo imitatione expressum esse[50]. et fateor equidem imitationis Ovidianae vestigia non semel apparere, veluti 18 Iovis verbis:

καὶ τότ' ἐγὼ πυρὶ φέγγος ἀπέσβεσα

idem acumen captat quod Ovidius 313:

et saevos compescuit ignibus ignes,

deinde Solis praecepta 135 ss.:

nec preme nec summum molire per aethera currum.
altius egressus caelestia tecta cremabis,
inferius terras: medio tutissimus ibis

satis inficete Iovem Soli praecipientem facit 32 ss.:

φείδεο γῆς καὶ παντὸς ἀριπρεπέος κόσμοιο

---

[50]) haec Ehwaldi sententia est: *Bursiani jahresb.* XXXI (1884) p. 170. Sulpicii versus post Kaibelium peculiari libello scholastico edidit Eitner *Q. Sulpicius Maximus, ein elfjähriger dichter, Görlitz 1884,* unde nihil novi didici.

ἴσχε δρόμον μεσάταισιν ἐφ' ἀψίδεσσιν Ὀλύμπου
. . .
καὶ τὸν ἀπειρέσιον μέγαν οὐρανὸν αὐτὸς ὅδευε
ἥμισυ μὲν γαίης νέρθεν, τὸ δ' ὕπερθε τανύσσας.

infelici aemulationis studio perspecto non negabis Telluris querelas apud Ovidium (285 ss.) illum esse imitatum v. 13 sqq., fluminum seriem uno versu *τίς ποταμῶν οὐ πᾶσαν ἀνεξηραίνετο πηγὴν* contraxisse, Oceanum Neptuno substituisse 10:

Ὠκεανὸς χέρας αὐτὸς ἐς οὐρανὸν ἠέρταζε

cl. Ov. 270 sq., denique Telluris habitum (17) ex Ovidio sumpsisse. verum remanent quae apud illum invenire non potuit. argumentum idem esse apud Lucianum iam dixi, at singula quoque concinunt. Iuppiter Sulpicianus in Solem invehitur:

τίπτε κακόφρονα θῆκας ἐφ' ἀψίδεσσιν Ὀλύμπου
υἱέα καὶ πώλων ἄφατον κράτος ἐγγυάλιξας;

Lucianeus: *οἷα πεποίηκας, ὦ Τιτάνων κάκιστε* (hoc argutule dictum), *ἀπολώλεκας τὰ ἐν τῇ γῇ ἅπαντα μειρακίῳ ἀνοήτῳ πιστεύσας τὸ ἅρμα*. — in fine vituperationum ille minatur: si caelicolis hominibusque innoxium lumen praebueris:

πρηυμενῆ δ' ἕξεις Ζηνὸς νόον· ἢν δ' ἑτέρη τις
λείπηται σέο φροντὶς ἀταρβέος, ἵστορες αὐτοὶ
ἀστέρες, ὡς πυρόεντος ἐμοῦ μένος αἶψα κεραυνοῦ
ὠκύτερον πώλων . . . . . δέμας . . .

versum mutilum supplere non ausim[51]), at quid dicere voluerit et ex versu 20:

μή ποτε χειρὸς ἐμῆς φλογερώτερον ἔγχος ἀθρήσῃς[52])

et ex Luciano: *νῦν μὲν οὖν συγγνώμην ἀπονέμω σοι, ἐς δὲ τὸ λοιπόν, ἤν τι ὅμοιον παρανομήσῃς ἤ τινα τοιοῦτον σεαυτοῦ διάδοχον ἐκπέμψῃς, αὐτίκα εἴσῃ, ὁπόσον τοῦ σοῦ πυρὸς ὁ κεραυνὸς πυρωδέστερος* abunde elucet[53]). consensum qui intercedat inter utrumque

---

[51]) pessime restituere ausus est Eitnerus p. 17.

[52]) sic Kaibelius ci. *ἀθροίσῃς* lapis.

[53]) quae Iuppiter Sulpicianus petit: *μαίεο, δαῖμον,*
μειλίχιον πάλι φέγγος· ὁ σὸς πάις ὤλεσε πουλύ (34 s.)
explicantur versibus Nonnianis 421 sqq.:
Ἠέλιος δ' ἀνέτελλε παλίνδρομον ἅρμα νομεύων·
καὶ σπόρος ἠέξητο, πάλιν δ' ἐγέλασσαν ἀλωαί,
δεχνύμεναι προτέρην βιοτήσιον αἰθέρος αἴγλην.

ita explicandum esse Kaibelius censuit, ut vulgare hoc et in rhetorum scholis decantatum argumentum diceret: nos qui Lucianum ex poeta Alexandrino pendere saepius demonstravimus, ad eundem haec referimus. dissensum igitur altercationemque Iovem inter et Solem pluribus persecutum esse poetam suspicor; quo pacto persecutus sit rerumque repetitionem evitaverit nescimus. quid responderit Sol ex Ovidii versibus 385—393 quodam modo adumbrari licet. ceterum Nonnus Solis luctum etiamsi indicare omisit videtur novisse, cum dicat XXIII 238 sqq.:

Ἠελίου θρασὺν υἷα πυρώδεος ἡνιοχῆος
οὐρανὸν ἱππεύοντα πατὴρ ἐμὸς ἔφλεγε πυρσῷ,
καὶ νέκυν ἔστενε παῖδα πυρὸς ταμίης Ὑπερίων,
οὐ δὲ χάριν Φαέθοντος ἐμῷ πολέμιζε τοκῆι,
οὐ πυρὶ πῦρ ἀνάειρε καὶ εἰ πυρὸς ἡγεμονεύει,

quo exemplo usus Bacchus in Hydaspen invehitur. apparet quam ridicule rem instituerit qui Baccho fabulae Phaethonteae bene gnaro Mercurium illam tanquam ignotam narrantem facit; cf. XXXVIII 97s.:

Ἑρμείαν δ' ἐρέεινε καὶ ἤθελε μᾶλλον ἀκοῦσαι
Κελτοῖς Ἑσπερίοις μεμηλότα μῦθον Ὀλύμπου,

at talia non solet curare. contra laude est dignus quod catasterismum Phaethontis — huc enim tendebat poeta Alexandrinus — disertis verbis indicavit. nam refecto damno Iuppiter adulescentulum inter astra recepit, 424 sqq.:

Ζεὺς δὲ πατὴρ Φαέθοντα κατεστήριξεν Ὀλύμπῳ,
εἴκελον ἡνιόχῳ καὶ ἐπώνυμον· οὐράνιον δὲ
πήχεϊ μαρμαίροντι σελασφόρον ἅρμα τιταίνων
εἰς δρόμον ἀίσσοντος ἔχει τύπον ἡνιοχῆος,
οἷα πάλιν ποθέων καὶ ἐν ἀστράσιν ἅρμα τοκῆος,

quibus haec adnexa sunt:

καὶ ποταμὸς πυρίκαυτος ἀνήλυθεν εἰς πόλον ἄστρων
Ζηνὸς ἐπαινήσαντος, ἐν ἀστερόεντι δὲ κύκλῳ
Ἠριδανοῦ πυρόεντος ἑλίσσεται ἀγκύλον ὕδωρ·

denique memorata Heliadum transformatione finitur liber duodequadragesimus Dionysiacorum. sed de catasterismis seorsim agendum est.

2.

Solis luctus ut leniretur, facti sunt catasterismi, quos comprehendit Claudianus de VI. cons. Honorii 168 ss.:

namque omnia luctus
argumenta sui Titan signavit Olympo,
mutatumque senem plumis et fronde sorores
et fluvium, nati qui vulnera lavit anheli.
stat gelidis **Auriga** *plagis, vestigia fratris*
germanae *servant* **Hyades Cycnique** *sodalis*
Lacteus extentas *aspergit* **Circulus alas;**
stelliger **Eridanus** *sinuatis flexibus errans*
clara Noti convexa rigat gladioque tremendum
gurgite sidereo subterluit Oriona.

in his versibus summi momenti est catasterismus Phaethontis, qui plane congruit cum Nonno. ex eodem igitur fonte Claudianum hausisse statuendum erit. atque — ut Roberti (*Eratosth. catast.* p. 223) verba mea faciam — si quis poetarum Alexandrinorum in sideribus interpretandis lusus penitus cognoverit, is non unum tantum sed complura sidera simul ex tali fabula explicari solere non ignorat. itaque qui Phaethontem Eridanumque in caelo esse finxit, exspectamus eundem nobis etiam cetera *luctus Phoebei argumenta* inter sidera demonstraturum esse. ergo praeter Flumen Aurigamque et Circulum lacteum et Hyades et Cycnum interpretatus est poeta in fine carminis, ex quo omnes quantum cognosci licet catasterismos diligenter transtulit Claudianus, paucos solita levitate delibavit Nonnus.[63]) iam singula percenseamus sidera.

a.

Eridani sideris mentio prima occurrit apud Aratum, qui Cetum positum esse dicit 358 ss.:

βαιὸν ὑπὲρ Ποταμοῖ βεβλημένον ἀστερόεντος.
οἷον γὰρ κἀκεῖνο θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται
λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύτου ποταμοῖο.

atque Fluminis nomen Eudoxo debet, Eridani non item, ut monui

[63]) quid commoverit Ovidium, ut catasterismos neglegeret paragrapho 3 explicabo.

p. 13. quod unde hauserit, nisi forte invenerit ipse, prorsus ignoramus: at vide mihi quam abruptus sit transitus a v. 358 ad sequentes. relegenti mihi versus hosce versu 360, quo mirabili breviloquentia fabulam complexus est, memoriam nescio cuius poematis videtur repetiisse. utcunque res se habet, semen fabulae sideralis ab Arato sparsum esse statuimus, quam is poeta copiosissime tractavit, cuius epyllium capite antecedenti adumbrare conati sumus.

Aratum secuti sunt interpretes Cicero Germanicus Avienus, sed ita secuti sunt, ut ad explicandam fabulam scholia adhiberent. Cicero Aratea 145 ss.:

namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
caeli funestum magnis cum †viribus amnem,[54])
quem lacrimis maestae Phaethontis saepe sorores
sparserunt letum maerenti voce canentes.

Germanic. Arat. 363 ss.:

amnem, qui Phaethonta suas deflevit ad undas,
postquam patris equos non aequo pondere rexit,
vulnere reddentem flammas Iovis; *hunc nova silva,*
planxere ignotis maestae Phaethontides alnis.

alnis scripsi ex parte Burmannum secutus pro eo quod in libris est *ulnis.* cf. Avien. 793. ceterum verbis *vulnere reddentem flammas Iovis* perperam tentatis expressit scholiastam *καὶ γὰρ ἐκεραυνώθη μεταςχὼν τοῦ κεραυνοῦ τοῦ Φαέθοντος.* cf. quae disputavi p. 5.

Avienus Arat. 780 sqq.:

quin et caeruleo flumen quoque gurgite manat
astra inter sedesque deum. pars **aequor** *id esse*
credidit. Ausonii namque hunc dixere priores
Eridanum, *Venetos late qui lapsus in agros*
Alpino Hadriacos inpellit gurgite fluctus.
hic fusum caelo quondam Phaethonta sub undas
excepit senior, leve cum sensere iugales
aetherii rectoris onus cumque ignifer axis
tramite sub mundi mortales sprevit habenas.
didita tum late texere incendia terras;
astra vorax ignis, flammae sola cuncta coquebant,

---

[54]) *viribus* sine dubio corruptum est; ci. *flexibus.*

donec fata sui miseratus Iuppiter orbis
redderet aetherii Phoebo moderamina cursus.
illum prolixis durae Phaethontides alnis
planxerunt, rediit supero pax aurea mundo
Eridanumque senem nutu Iovis omniparentis
astra receperunt. Pharium pars altera **Nilum**
commemorat e. q. s.[55])

in his aperta imitatio Ovidiana. sed praeter Ovidium usus est falso Eratosthene i. e. largioribus scholiis Arateis (Robert *Eratosth. cat.* p. 29), unde et Oceani et Nili nomen flumini caelesti attribuit. hoc non sine probabilitate ad Leonem Pellaeum rettulit Maafsius amicus (*anal. Eratosth.* p. 136 n. 120), illud commemorasse satis habeo.

b.

Circulum lacteum ex lacte Iunonis profuso ortum esse vulgaris fert opinio (Robert *Eratosth. cat.* p. 198 s.), quae videtur promanasse ex Mercurio Eratosthenico (Hiller *Eratosth. carm. reliq.* p. 47 sq.). vetustiorem famam secutus est carminis Phaethontei scriptor. redit autem ad Pythagoreos teste Aristotele meteor. I 8 p. 345ª 5 ss.: *ὅπως δὲ καὶ διὰ τίν' αἰτίαν γίνεται καὶ τί ἐστι τὸ γάλα, λέγωμεν ἤδη. περιέλθωμεν δὲ καὶ περὶ τούτου τὰ παρὰ τῶν ἄλλων εἰρημένα πρῶτον. τῶν μὲν οὖν καλουμένων Πυθαγορείων φασί τινες ὁδὸν εἶναι ταύτην, οἱ μὲν τῶν ἐκπεσόντων τινὸς ἄστρων κατὰ τὴν λεγομένην ἐπὶ Φαέθοντος φθοράν, οἱ δὲ τὸν ἥλιον τοῦτον τὸν κύκλον φέρεσθαί ποτέ φασιν.* quae multis aucta repetuntur a Plutarcho de placit. philos. II 1 (cf. Diels *doxograph.* p. 364 s.); et felici casu accidit, ut nomen unius horum astronomorum servatum sit ab Achille Tatio (in Petavii *Uranologio* p. 146) . . . *ἕτεροι δέ φασιν, ὧν ἐστι καὶ Οἰνοπίδης ὁ Χῖος, ὅτι πρότερον κατὰ τούτου* (sc. Circuli lactei) *ἐφέρετο ὁ ἥλιος, διὰ*

[55]) proprium sibi idque falsum commentum exhibet scholiasta Bernensis ad Verg. georg. I 482 *fluviorum rex Eridanus] rex sive quod in eum flumina multa intrant ex Alpibus vel quod ipsius simulacrum in caelo sit receptum.* Eridanus Solis filius, qui postquam in Italiae fluvium ceciderit *a luce ardoris sui* Phaethon appellatus sit, mero Servii errore (ad Verg. Aen. VI 659) debetur, quem ex Lucano (II 416) male intellecto traxit.

δὲ τὰ Θυέστεια δεῖπνα ἀπεστράφη καὶ τὴν ἐναντίαν τούτῳ πεποίηται περιφοράν, ἣν νῦν περιγράφει ὁ ζῳδιακός. sumere hoc potuit Oenopides Anaxagorae aequalis ex tragicis, siquidem recte ad Sophoclis Mycenaearum frg. 668, ad Euripidis Thyestae frg. 853 (cf. Orest. 1001 sqq. Plato Politic. p. 269a) referunt.[56]) tragicos qui alibi respexit (III 18, V 462) Manilius in libro primo, ubi de origine Circuli lactei disputat, poetam Alexandrinum sequi maluit 727 sqq.:

an melius manet illa fides per saecula prisca,
illac Solis equos diversos curribus isse
atque aliam trivisse viam longumque per aevum
exustas sedes incoctaque sidera flammis
caeruleam verso speciem mutasse colore
infusumque loco cinerem mundumque sepultum?

unde patet in fabula Phaethontea hisce versibus adnexa quanta vis insit verbis:

monstratas liquisse vias **orbemque recentem**
imposuisse polo

(cf. p. 38.), quae ex auctore Alexandrino profecta esse demonstravimus. eandem famam teste Diodoro multi et scriptores rettulerunt et poetae qui fabulam Phaethonteam tetigerunt V 23: *καὶ τὸ μὲν πρῶτον κατὰ τὸν οὐρανὸν πλανωμένους* (sc. equos) *ἐκπυρῶσαι τοῦτον καὶ ποιῆσαι τὸν νῦν γαλαξίαν καλούμενον κύκλον* e. q. s. duobus igitur Claudiani Maniliique testimoniis confirmatur Circuli lactei originem ex fabula Phaethontea explicatam esse a poeta, quocum optime convenit, quod Aurigae sidus ipso illo Circulo secatur.

c.

Aurigae sidus novit quidem Aratus 156 sqq.:

εἰ δέ τοι Ἡνίοχόν τε καὶ ἀστέρας Ἡνιόχοιο
σκέπτεσθαι δοκέει καί τοι φάτις ἤλυθεν Αἰγός
αὐτῆς ἠδ' Ἐρίφων, οἵτ' εἰν ἁλὶ πορφυρούσῃ
πολλάκις ἐσκέψαντο κεδαιομένους ἀνθρώπους,
αὐτὸν μέν μιν ἅπαντα μέγαν Διδύμων ἐπὶ λαιὰ
κεκλιμένον δήεις· Ἑλίκης δέ οἱ ἄκρα κάρηνα
ἀντία δινεύει·

[56]) cf. Senec. Thyest. 776 sqq. Leo *observatt.* p. 173.

sed neque nomine proprio insignitum et — quod sideris positio ipsa suadet — coniunctum cum Haedis et Capra, cuius fabulam in sequentibus explicat. fuerunt qui Aurigae cum Trionibus (cf. Arat. 161) coniuncto nomen dedere. schol. Arat. 161: *οἱ δὲ μυθολόγοι τὸν Ἡνίοχον λέγουσιν εἶναι εἴδωλον ἢ Βελλεροφόντου ἢ Τροχίλου τοῦ Καλλιθέας παιδὸς τῆς πρώτης ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας ἅρμα πρῶτον ζεύξαντος· ἄλλοι δὲ Μυρτίλου. οἱ δὲ Κίλλαντος* (cod. *Κέλλαντος*) *τοῦ Πέλοπος ἡνιόχου εἶπον, οἱ δὲ Οἰνομάου,* quae ex Pseudoeratosthene (Robert p. 98) supplentur, unde Erichthonium Aurigam lucramur. denique poeta noster Phaethontem indagavit, Hippolytum periegeta Troezenius, ex quo pendet Pausanias II 32, 1: *Τροιζηνίοις δὲ ἱερεὺς μέν ἐστιν Ἱππολύτου τὸν χρόνον τοῦ βίου πάντα ἱερώμενος καὶ θυσίαι καθεστήκασιν ἐπέτειοι, δρῶσι δὲ καὶ ἄλλο τοιόνδε· ἑκάστη παρθένος πλόκαμον ἀποκείρεταί οἱ πρὸ γάμου, κειραμένη δὲ ἀνέθηκεν ἐς τὸν ναὸν φέρουσα. ἀποθανεῖν δὲ αὐτὸν οὐκ ἐθέλουσι συρέντα ὑπὸ τῶν ἵππων οὐδὲ τὸν τάφον ἀποφαίνουσιν εἰδότες, τὸν δὲ ἐν οὐρανῷ καλούμενον ἡνίοχον, τοῦτον εἶναι νομίζουσιν ἐκεῖνον Ἱππόλυτον τιμὴν παρὰ θεῶν ταύτην ἔχοντα.* in his quae de virginum Troezeniarum more tradidit aperte hausta sunt ex Euripide Hipp. 1423 sqq.:

σοὶ δ', ὦ ταλαίπωρ', ἀντὶ τῶνδε τῶν κακῶν
τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει Τροιζηνίᾳ
δώσω· κόραι γὰρ ἄζυγες γάμων πάρος
κόμας κεροῦνταί σοι δι' αἰῶνος μακροῦ
πένθη μέγιστα δακρύων καρπουμένῳ,

cf. schol.: *ἐν Τροιζῆνι γὰρ ἡρίον Ἱππολύτου, ἐν ᾧ ἀποκείρονται αἱ μελλόνυμφαι διὰ τοῦ μέλλοντος ἀποκλαίουσαι* (cod. *ἀπολαύουσαι,* corr.) *ἐν ἤθει.* praeterea summa neglegentia auctorem suum excerpsit sophista; adversa enim fronte inter se pugnant verba *ἀποθανεῖν δὲ αὐτὸν οὐκ ἐθέλουσι συρέντα ὑπὸ τῶν ἵππων* et ea quae in fine capitis leguntur *ἐπὶ θάλασσαν δὲ τὴν Ψιφαίαν πορευομένοις κότινος πέφυκεν ὀνομαζόμενος ῥᾶχος στρεπτός. ῥάχους μὲν δὴ καλοῦσι Τροιζήνιοι πᾶν ὅσον ἄκαρπον ἐλαίας, κότινον καὶ φυλίαν καὶ ἔλαιον· στρεπτὸν δὲ ἐπονομάζουσι τοῦτον ὅτι ἐνσχεθεισῶν αὐτῷ τῶν ἡνιῶν ἀνετράπη τοῦ Ἱππολύτου τὸ*

ἅρμα.[57]) iam scire velim quis fuerit auctor, nam profecto dignus est in quem inquiratur. atque eundem ni prorsus fallor Pausanias exscripsit I 22, 1—2 (cl. II 32, 3), ubi fabula de myrto Troezenia legitur, deinde II 27, 4 — Aricinorum narrationem de Hippolyto ab inferis revocato tangit —, denique ἐξήγησιν fuisse indicat II 31, 4. talia ante aetatem Alexandrinam fingi potuisse vel catasterismus Hippolyti vetat, quem non solum post Aratum sed — si me audias — etiam post Callimachum excogitatum esse constat.[58])

Quisquis fuit qui Hippolytum in caelo indagavit, haud inepte indagavisse censebis, cum Aurigae ante pedes positum sit Tauri sidus. Arat. 167 sq.:

> πάρ' ποσὶ δ' Ἡνιόχου κεραὸν πεπτηότα Ταῦρον
> μαίεσθαι.

Taurum igitur ex sententia poetae — nam poetam esse non

---

[57]) Hesych. ῥάχοι· ... ἔνιοι τοὺς φακέλους τῶν ξύλων, ἄλλοι τὰς μυρικίνας ῥάβδους. nimis suspicax fortasse videbor, si Ovid. met. XV 521 ss.:

> *nec tamen has vires rabies superasset equorum,*
> *ni rota, perpetuum qua circum vertitur axem,*
> *stipitis occursu fracta ac disiecta fuisset*

huc traxero. at discrepat ab Eurip. Hipp. 1233; de qua re iam Kalkmannus *de Hippolytis Euripideis quaestiones novae* (Bonn 1882) p. 57 n. 3 monuit.

[58]) rem in adnotatione persequar. de fabula Callimachea nuper Kalkmannus p. 55 sqq. disputavit, cui ex omni parte non adsentior. veluti quod Ovidium (met. XV 497 sqq.) ex uno Callimacho pendere adseveravit, falsus est, nam aperta Euripideae imitationis vestigia insunt narrationi illius. quodsi Vergilius Aen. VII 765 sqq.:

> *namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercae*
> *occiderit patriasque explerit sanguine poenas*
> *turbatis distractus equis, ad sidera rursus*
> *aetheria et superas caeli venisse sub auras*
> *Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae*

Callimachum secutus est testante scholiasta ad v. 778 (Call. frg. 7), vides, quam apte catasterismi poeta fabulam sideralem his versibus superstruere potuerit. Hippolytum autem nescio an cum Androgeone coniunxerit Battiades, quem in quarto Aetiorum libro celebravit (frg. 33b. cf. Paus. I 1, 4): certe Propertius II 1, 61 Androgeonem quoque ab inferis revocatum fuisse narrat:

> *et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis*
> *restituit patriis Androgeona focis.*

est quod negaveris — eum fuisse statuo, qui interitum Hippolyto paravit.[59]) neque deest Aesculapius, qui ab inferis excitavit iuvenem castissimum: Anguitenentem enim Aesculapium esse voluerunt, quem ne coniungamus cum Auriga positio quidem sideris videtur prohibere; at talia poetae faceti non solent curare. atque diserte testatur Pseudoeratosthenes (p. 68 Rob.): *λέγεται δὲ εἶναι Ἀσκληπιός, ὃν Ζεὺς χαριζόμενος Ἀπόλλωνι εἰς τὰ ἄστρα ἀνήγαγε τέχνῃ ἰατρικῇ χρώμενον, ὡς καὶ τοὺς ἤδη τεθνηκότας ἐγείρειν, ἐν οἷς καὶ ἔσχατον Ἱππόλυτον τὸν Θησέως* e. q. s.

Bellerophontem alii dixerunt, de quo praeter scholion Arateum nihil comperimus. sed cohaeret hic catasterismus cum Equo. Pegasum esse adfirmat Pseudoeratosth. p. 120 Rob. [testibus adde Ovid. fast. III 449 ss.]: *ἄλλοι δὲ τὸν Πήγασον εἶναί φασι τὸν εἰς τὰ ἄστρα ἀναπτάντα ὕστερον τῆς Βελλεροφόντου πτώσεως. διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν πτέρυγας ἀπίθανον δοκεῖ τισὶ ποιεῖν τὸν λόγον.* fabellae quae est de Pegaso inter sidera relato quasi semen invenitur apud Hesiodum Theog. 284 s. pluribus exornatum apud Pind. Isthm. VII 44 (Bgk.) et Eurip. Belleroph. fr. 314. eiusdem in ipsa fabula Phaethontea mentionem fecit Nonnus 400 sqq.:

καὶ ποδὸς ἀστραίοιο μετάρσια γούνατα πάλλων
Πήγασος ἐχρεμέτιζε καὶ αἰθύσσων πόλον ὁπλῇ
ἡμιφανὴς Λίβυς ἵππος ἐπέτρεχε γείτονι κύκνῳ
καὶ κοτέων πτερὰ πάλλεν, ὅπως πάλιν ἡνιοχῆα
ἄλλον ἀκοντίσσειεν ἀπ' αἰθέρος, οἷα καὶ αὐτὸν
ἄντυγος οὐρανίης ἀπεσείσατο Βελλεροφόντην.

haec nisi ab ipso Nonno excogitata esse dixeris,[60]) quod sane praefracte negari non potest, haud scio an ideo auctor eius commemorarit, ut contra Bellerophontis catasterismum more poetarum illius aetatis tecte pugnaret.

Hippolyto Bellerophontique adiungo alios a tragicis poetis no-

---

[59]) hoc traditum non est. scholia Aratea (167) de tauro referunt *τοῦτον δὲ οἱ μὲν τὸν τὴν Εὐρώπην διαπορθμεύσαντα ἐκ Φοινίκης εἰς Κρήτην διὰ τοῦ πελάγους κατηστερίσθαι φασίν, οἱ δὲ τοῦτον οὗ Πασιφάη ἠράσθη, οἱ δὲ τὸν ἐκ Κρήτης εἰς Μαραθῶνα παραγενόμενον, ὃν Θησεὺς κατηγωνίσατο.* ceterum de tauro in Hippolytum immisso egerat Istrus in tertio *Ἀτάκτων* libro (Phot. s. *Ταυροπόλον*).

[60]) eadem versus clausula legitur XXVIII 167 et XI 144 loco memorabili.

bilitatos. schol. Arat. l. l.: *ἄλλοι δὲ Μυρτίλου, οἱ δὲ Κίλλαντος τοῦ Πέλοπος ἡνιόχον εἶπον, οἱ δὲ Οἰνομάου.* Hygin. II 13: *alii autem hunc* (Aurigam) *Mercurii filium ex Clytia natum nomine Myrtilum Oenomai aurigam definierunt, cuius post notam omnibus mortem parens corpus in mundo constituisse existimatur.* cetera testimonia collegit Robertus p. 104, sed praetervidit Nonnum XXXIII 292 sqq.:

ὑπερτέλλοντα δὲ ταύρου
Μυρτίλον ἐσκοπίαζε πυρίπνοον ἡνιοχῆα,
ὅττι πόθῳ χραίσμησε καὶ εἰς δρόμον Ἱπποδαμείης
ἀξόνιον ποίησε τύπον τροχοειδέι κηρῷ,
ἄχρι Πέλοψ γάμον εὗρε·

in quibus versibus ne quid reconditioris credas delitescere doctrinae, moneo poetam adire potuisse Pseudoeratosthenem vel a Byzantinis lectum. Myrtilum propter matrem caelo beatum esse assequi licet ex schol. Apollon. I 752: *ὁ δὲ Μυρτίλος Ἑρμοῦ υἱὸς ἐκ μιᾶς τῶν Δαναοῦ θυγατρῶν Φαεθούσης, οἱ δὲ Κλυμένης* (cf. schol. Eur. Or. 998. Clytia audit Hygino l. l.)[61]) en habes progeniem Phaethonteae simillimam! caelestis originis etiam Oenomaus, cuius mater Sterope Pléiadum choro adnumeratur. cf. Hygin. II 21: *Martem etiam ex Sterope Oenomaum procreasse* (cf. schol. Hom. Σ 486. Asterope audit Hygino fab. 84), *quam alii* (cf. Apollod. III 10, 1. Paus. V 10, 6) *Oenomai uxorem dixerunt.* paullo obscurior Cillantis memoria, quae sine dubio ex Lesbo, ubi Apollo Cillaeus colebatur (Strabo XIII 612), traducta fabulis Troicis inspersa est, etiamsi de catasterismo nihil comperimus.[62]) ceterum quod fluctuant scriptores in designando sidere memorabile est eodem modo fluctuare in designando Taraxippo Olympiaco. Paus. VI 20, 8: *λέγουσι δὲ καὶ ὡς Μυρτίλῳ*

---

[61]) longe alia est genealogia apud schol. C Eur. Or. 990. quid sibi velit mentio E r i d a n i fluvii cum Geraesto promunturio coniuncta apud scholiast. Vatic. Eur. Or. 981, qui Myrtili caedem ex Euripide narrat, non extrico. verba ipsa mutila sunt.

[62]) cf. Hom. Α 37 c. schol. Strab. 612. 613. (Gaede *Demetrii Scepsii quae supersunt* p. 37.) restituendum nomen ap. schol. Eur. 990: *εἶχε δὲ Πέλοψ ἡνίοχον τὸν Κίλλαν* (*Κύλαν* cod.). *Κίλλα* est Laomedontis filia (Apoll. III 12, 3), cuius fata celebravit Euphorio (Serv. ad Verg. Aen. II 32 cl. schol. Lycophr. 319). *Κίλλας* etiam *Κίλλος* audit. de fabula Pelopis Lesbo oriunda cf. Robert *bild und lied* p. 187 n. 35.

κενὸν ἐνταῦθα ἠρίον ποιήσειε Πέλοψ καὶ θύσειέ τε αὐτῷ τὸ ἐπὶ τῷ φόνῳ μήνιμα ἰώμενος καὶ ἐπονομάσαι Ταράξιππον, ὅτι τῷ Οἰνομάῳ διὰ τοῦ Μυρτίλου τῆς τέχνης ἐταράχθησαν οἱ ἵπποι. τοῖς δέ ἐστιν εἰρημένον, ὡς αὐτὸς Οἰνόμαος ὁ τοὺς ἱππεύοντάς ἐστιν ἐν τῷ δρόμῳ βλάπτων. de auriga quoque Pelopis fluctuaverunt: Paus. V 10, 8: *τῷ δὲ ἀνδρὶ ὃς ἡνιοχεῖ τῷ Πέλοπι λόγῳ μὲν τῷ Τροιζηνίων ἐστὶν ὄνομα Σφαῖρος, ὁ δὲ ἐξηγητὴς ἔφασκεν ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ Κίλλαν εἶναι.* [63])

Transeo ad inventores. inter quos primum obtinet locum Erichthonius, ne hic quidem ab eo qui Phaethontem inter sidera rettulit neglectus. nam cum Hyginus II 13 (de ceteris cf. Robert l. l. p. 98) de illo tradiderit: *quem Iuppiter cum vidisset primum inter homines equos quadrigis iunxisse, admiratus est ingenium hominis ad Solis inventa accessisse, quod is princeps quadrigis inter deos est usus*, intelleges optime haec quadrare in Phaethontis lusus pueriles Nonni auctori p. 27 adsignatos. ac profecto talia ex fabella cognata transferre potuit poeta Alexandrinus. cum Erichthonio de honore inventionis certat Trochilus Argivus. utrumque iuxta posuit Tertullianus de spect. 9: *sed et*

primus Erichthonius currus et quattuor ausus
iungere equos rapidusque rotis insistere victor.

(Verg. georg. III 113.) *Erichthonius Minervae et Vulcani filius et quidem de caduca in terram libidine portentum est daemonicum . . . si vero Trochilus Argivus auctor est currus, primo Iunoni id opus suum dedicavit.* hausta haec sunt ex scholiis Vergilianis eisque multo uberioribus quam nos tenemus ad Georg. III 113 (cf. Probus ad h. l.)[64]) scholia autem Vergiliana ni fallor pendent ex Arateis (161): *οἱ δὲ μυθολόγοι τὸν Ἡνίοχον λέγουσιν εἶναι εἴδωλον . . . Τροχίλου τοῦ*

---

[63]) adde Hesych. s. v. *Ταράξιππος· οὕτως* (nonne *οὗτος*?) *ὑπ' ἐνίων Πέλοψ ἱστορεῖται, οὗ τάφος ἐν Ὀλυμπίᾳ*, quae male contracta esse patet. quis sit Taraxippus non definit auctor problematis arithmetici Anth. Pal. XIV 4. et cautione opus est in nomine designando, cum teste Photio Ptolemaeus Chennus in quarto novae historiae libro egerit *περὶ τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ Ταραξίππου καὶ τῶν Μυρτίλων πατρὸς καὶ παιδός*, qui dionymia solvere conatus est *ἀπορίαν*.

[64]) Suetonianam doctrinam subesse Reifferscheidius (*Suet. reliq.* p. 338) suspicatus est, sed causam idoneam non attulit.

Καλλιθέας (scr. *Καλλιθυίας*) *παιδὸς τῆς πρώτης ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας ἅρμα πρώτου ζεύξαντος.* adde Hyginum de astron. II 13, qui ex eodem fonte hausit: *nonnulli etiam qui de sideribus scripserunt hunc natione Argeum Trochilum*[65]) *nomine primum quadrigarum inventorem esse dixerunt et pro inventione siderum locum possedisse.*[66]) iam vide mihi inter quot rerum inventores versemur. Piras Callithyiae pater Trochili avus primus ligneum Iunoni simulacrum Argis constituisse dicitur (Plutarch. de Daedal. ap. Euseb. praep. ev. III 8), Callithyia prima Iunonis sacerdos fuit,[67]) Trochilus primus currum invenit, Triptolemus denique secundum famam Argivam Trochili filius frumentum primus hominibus ostendit. famam Argivam refert Pausan. I 14, 2: *λέγεται οὖν ὡς Δήμητρα ἐς Ἄργος ἐλθοῦσαν Πελασγὸς δέξαιτο οἴκῳ καὶ ὡς Χρυσανθὶς τὴν ἁρπαγὴν ἐπισταμένη τῆς Κόρης διηγήσαιτο. ὕστερον δὲ Τροχίλον ἱεροφάντην φυγόντα ἐξ Ἄργους κατὰ ἔχθος Ἀγήνορος ἐλθεῖν φασιν ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ γυναῖκά τε ἐξ Ἐλευσῖνος γῆμαι καὶ γενέσθαι οἱ παῖδας Εὐβουλέα καὶ Τριπτόλεμον. ὅδε μὲν Ἀργείων ἐστὶ λόγος.* quae ex Argolicis fonte scripto, cuius vestigia detexit Wilamowitzius (*comm. gramm.* II 16. Hermes XVIII 259), translata esse confido. artificiosa sane coniunctio fabulae Argivae cum Attica, sed memineris *Καλλίθυιαν* Trochili aviam redire apud Eleusinios. poeta hymni in Cererem inter Celei filias quae vagantem deam salvere iubent,

---

65) cod. *Orsilochum* quod duce scholiasta Arati correxi.

66) cf. Hieronym. ad annum 449 (Euseb. ed. Schoene II 25): *primus quadrigam iunxisse fertur Trochilus.*

67) cf. praeter Plutarchum Syncell. 283, 2: *Καλλίθυια Πείραντος ἐν Ἄργει πρῶτον ἱεράτευσε τῆς Ἥρας.* nihil novi docet Aristid. or. XLV 3 (t. II 3 Ddf.). ceterum *Καλλίθυια* non diversa est ab *Ἰὼ* teste Hesychio s. v. *Ἰὼ Καλλιθύεσσα· Καλλιθύεσσα ἐκαλεῖτο ἡ πρώτη ἱέρεια τῆς †Ἀθηνᾶς* <*ἐν Ἄργει Ἥρας?*>. antiquissimus testis videtur esse Phoronidis auctor (fr. 4 K.):

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
πρώτη κόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης,

quem ante oculos videtur habuisse Aesch. Suppl. 281:

κληδοῦχον Ἥρας φασὶ δωμάτων ποτε
Ἰὼ γενέσθαι τῇδ' ἐν Ἀργείᾳ χθονί.

Πειρῆνα Ius patrem vocat Hesiodus fr. 174. apud Hygin. fab. 145: *ex Pirantho et Callirhoe Argus Arestorides Triopas* restituas *Pirante et Callithoe.*

Callithoen exhibet — *ἣ τῶν προγενεστάτη ἦεν ἁπασῶν* (110). iam haec mihi reputa. Trochilum in caelo indagaverunt *nonnulli qui de sideribus scripserunt,* quibus verbis poetam quendam subindicari suspicor conlato altero Hygini loco (II 4), ubi *Hermippus qui de sideribus scripsit* paene eodem modo laudatur. at Hermippus excluditur, quippe qui Trionum sidus cum Arctophylace coniunxerit. contra Hegesianactem qui item de sideribus scripsit[68]) auctorem esse catasterismi non temere mihi videor conicere. nam Triptolemum una cum Iasione Geminorum sidus efficere statuit (Hyg. II 22), siquidem verum vidit Robertus *Eratosth. cat.* p. 222. quodsi illum spreta fama vulgari ex Trochilo procreatum esse voluerit, quasi stemma inventorum vel in caelo efficitur. cui coniecturae unum est quod addam. Triptolemus ex Hegesianactis sententia teste Hygino II 14 *primus hominum una rota dicitur usus, ne cursu moraretur.* perfectum igitur reddidit inventum Erichthonii rotarii Attici (Hyg. II 13) et Trochili rotarii Argivi. itaque donec meliora edoctus sim, et Aurigae et Ophiuchi (sc. Carnabontis Getarum regis) et Geminorum sidera ab uno Hegesianacte explicata esse statuo.[69])

---

[68]) ambo tanquam disertissimi stellarum interpretes laudantur a Ptolemaeo *ἐν Ἰδιοφυέσι* (*biogr. graec.* ed. West. p. 55) *πάνθ' Ἡγησιάναξ τε καὶ Ἕρμιππος τὰ κατ' αἴθρην τείρεα καὶ πολλοὶ ταῦτα τὰ φαινόμενα βίβλοις ἐγκατέθεντο.* nam quod Robertus *Erat.* p. 221 n. 2. hoc epigramma a Bergkio sine ulla probabilitate ad *Ἰδιοφυῆ* relatum esse dixit, Buhlii oscitantia deceptus est, qui in vita Aratea (II p. 433) verba *Πτολεμαῖος μέμνηται ὁ βασιλεὺς Ἰδιοφυέσιν οὕτως* turpiter omisit.

[69]) conciderent quae disputavi, si verum vidisset Maaſsius amicus, qui argumentum alterius fabulae Erigoneae ex Hygino sagaciter enucleatum ad Hegesianactem rettulit his maxime usus argumentis, post Eratosthenem vixisse poetam, de sideribus dedita opera egisse, heroas A t t i c o s in caelo indagavisse. mitto primum quod non est momenti in mea disputatione. sed duo alia non minus meae favere coniecturae apparet. tertium addidi de Triptolemo egisse Hegesianactem teste Hygino. ceterum T r o c h i l u m fabulam ab H e n i o c h o poeta comico scriptam novimus ex Ath. IX 408a, quanquam quis fuerit — servi nomen esse coniecit Meinekius *hist. crit.* p. 421 — plane nescimus, id quod sane dolendum. inventorem quadrigarum loco mutilo conclamatoque Corippus (laud. Iustin. I 331 ss. Partsch) nominavit, sed excidit nomen:

— ⏑⏑ — *referam primas iunxisse quadrigas*
et currus armasse novos Pelopemque secundum

Bellerophontem Oenomaum Myrtilum qui in caelo indagaverunt pendent ut fas est conicere ex tragoedia Euripidea. ex eadem pendet poeta Alexandrinus, qui Phaethontem aurigam caelestem sideribus intulit.[70]) atque Euripides Hesiodum secutus ipse quodam modo prolusit, cum adulescentulum in Luciferi sidus abiisse in fine fabulae pronuntiaret. hunc catasterismum scite immutatum ita in usum suum convertit poeta doctus, ut remoto Boote Phaethontem Aurigam cum Trionibus sive Plaustro coniungeret. sic Nonnus Dion. XXXVIII 425 ss.:

οὐράνιον δὲ
πήχεϊ μαρμαίροντι σελασφόρον ἅρμα τιταίνων
εἰς δρόμον ἀίσσοντος ἔχει τύπον ἡνιοχῆος.

siderum positionem in caelo si quis vel obiter inspexerit, collocationis natura Booten cum Plaustro coniungendum esse fatebitur. sensit hoc qui Phaethontem Aurigam cum Plaustro iunxit — num senserint qui alios caelo intulerunt Aurigas in dubio est — itaque rerum caelestium perturbatione in primis Triones Bootemque adfectos esse diserte monuit teste Ovidio (obscuravit artem Nonnus) 171 ss.:

tum primum radiis gelidi caluere Triones
et vetito frustra temptarunt aequore tingui
. . .
te quoque turbatum memorant fugisse Boote,
quamvis tardus eras et te tua plaustra tenebant.

ergo invitus statione sua cessit Arctophylax, scilicet ut mundo re-

---

in soceri venisse necem. praestantior alter
inventus gener est plus sponsae iunctus amore.
hunc veterum primi ritum non recte colebant
esse deum Solem recta non mente putantes,

ubi varia virorum doctorum conamina congessit Partschius.

[70]) Bellerophontem cum Phaethonte coniunxit Horatius carm. IV 11 25 ss.:

terret ambustus Phaethon avaras
spes et exemplum grave praebet ales
Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophonten.

ambustus Phaethon conversus est e Graeco ἡμιδαὴς Φαέθων (Apollon. IV 598); ne quid vero artis Alexandrinae subesse opineris, apte monet Kiefslingius haec insolentiae exempla ex Euripide Horatium petivisse. Bellerophontis exemplum iam Pind. Isthm. VII 45 attulit.

creato illius munere fungeretur novum sidus Auriga caelestis.[70a]) quo inducto forsitan tecte pugnaverit contra eos poetas qui Booten una cum Trionibus caelo illatos esse adfirmaverunt, veluti contra Hermippum auctoremve fabulae Erigoneae. sed nolo hoc uti argumento, ut aetatem poetae ignoti definiam, cum carminis ipsius ne exiguum quidem fragmentum supersit.

d.

Claudiano teste Sol *mutatum senem plumis* inter sidera recepit. Cycnus est sodalis Phaethontis, de quo Vergilius Aen. X 189 sqq.:

namque ferunt luctu Cycnum ***Phaethontis amati,***
populeas inter frondes umbramque sororum
dum canit et maestum Musa solatur amorem,
canentem molli pluma duxisse senectam
linquentem terras et sidera voce sequentem.

quae vetus scholiasta apud Servium explicat:[71]) *fuit etiam quidam Ligus Cycnus nomine* ***dulcedine cantus ab Apolline donatus*** *amator Phaethontis, qui cum eum fleret extinctum* ***longo luctu*** *in avem sui nominis versus est,* ***qui postea ab Apolline inter sidera conlocatus est.***

Contraria docet Ovidius, qui Cycni transformationem fabulae Phaethonteae adnexuit 367 sqq.:

adfuit hic monstro proles Stheneleia Cycnus,
qui tibi materno quamvis a sanguine iunctus
mente tamen Phaethon propior fuit. ille relicto
(nam Ligurum populos et magnas rexerat urbes)
imperio ripas virides amnemque querellis

[70a]) quadam tenus vel hac in re praeivit Euripides Or. 1001 ss.:

ὅθεν Ἔρις τό τε πτερωτὸν
Ἁλίου μετέβαλεν ἅρμα
τὰν πρὸς ἑσπέραν κέλευθον
οὐρανοῦ προσαρμόσασα
μονόπωλον ἐς Ἀῶ,
ἑπταπόρου τε δρόμημα Πελειάδος
εἰς ὁδὸν ἄλλαν Ζεὺς μεταβάλλει.

[71]) scholiastae verba litteris crassioribus exprimenda curavi. ceterum exscriptum videtur esse hoc scholion ex scholio Arateo uberiore quam nos tenemus ad 275: *τοῦτον τὸν ὄρνιν οἱ μὲν λέγουσιν ὄντα κύκνον καταστερισθῆναι εἰς τιμὴν τοῦ Ἀπόλλωνος ἅτε μουσικὸν ὄντα.* cf. Paus. I 30, 3.

Eridanum implerat silvamque sororibus auctam,
cum vox est tenuata viro canaeque capillos
dissimulant plumae collumque a pectore longe
porrigitur digitosque ligat iunctura rubentes,
penna latus velat, tenet os sine acumine rostrum.
fit nova Cycnus avis nec se caeloque Iovique
credit, ut iniuste missi memor ignis ab illo:
stagna petit patulosque lacus ignemque perosus
quae colat elegit contraria flumina flammis —

contraria dico: nam qui Cycnum solis lucem perosus stagna petere adfirmat, is profecto sideribus illum inferre non potuit. et felici casu Ovidii auctor quis fuerit ex Lactantio Placido compperimus, qui argumento fabellae addit *sic Phanocles in Cupidinibus.* Phanoclem adhibitum esse a Nasone docet met. X 83 s., ubi verborum concentum cum frg. I 9 s. iam Santenius animadvertit; itaque fides Lactantii haud mediocriter augetur.

Ligurum laus musica antiquitus videtur percrebruisse,[72]) quam regi tributam catasterismi poeta more Alexandrino exornavit fideiussore Vergilio (191). sed amoris Cycnum inter et Phaethontem antiquissimus testis est Phanocles. impugnavit sententiam eius carminis Phaethontei scriptor, qui ut par est amasium Phaethontis in caelo indagavit. utriusque sententia ex oloris natura explicari licet. solet amare avis illa umbrosa desertaque stagna, unde quae Phanocles et is quidem nimia gradatione usus finxit lucem accipiunt. solet cum clangore alte volare olor Phoebo sacer candido colore conspicuus, e quo more catasterismum avis nullo negotio fingere poterat poeta. et revera fictum esse docet explicatio vulgaris fabulae olorinae apud Hyginum II 8 (de olore, cuius speciem Iuppiter Nemesis amore captus adsumpsit): *ipse autem [olor] avolavit et quod ab hominibus alte volans [in] caelo videbatur, inter sidera dictus est esse constitutus; quod ne falsum diceretur, Iuppiter e facto eum volantem . . . conlocavit in mundo.* hac fabula spreta novum catasterismum induxit noster poeta, in quo

[72]) Socrates apud Platonem Phaedr. 237 a iocatur *ἄγετε δή, ὦ Μοῦσαι, εἴτε δι' ᾠδῆς εἶδος λίγειαι εἴτε διὰ γένος μουσικὸν τὸ Λιγύων ταύτην ἔσχετε τὴν ἐπωνυμίαν.* nimis severe iudicat Müllenhoffius *deutsche altertumskunde* p. 218.

excogitando Apollinem — huic enim sacer olor — cum Sole quasi in unum corpus putavit coaluisse. Callimachi igitur a partibus stat, qui in Hecalae prologo galeato (Naeke *opusc.* II 46 s.) acerbe eos carpserat,

οἵ νυ καὶ Ἀπόλλωνα πανάρκέος Ἠελίοιο
χῶρι διατμήγουσι καὶ εὔποδα Δηωίνην
Ἀρτέμιδος (frg. 48).

cuius confusionis auctor fortasse fuit Euripides, qui in Phaethonte ipso Clymenam dicentem facit:

ὦ καλλιφεγγὲς Ἥλι' ὥς μ' ἀπώλεσας
καὶ τόνδ'· Ἀπόλλων δ' ἐν βροτοῖς ὀρθῶς καλεῖ,
ὅστις τὰ σιγῶντ' ὀνόματ' οἶδε δαιμόνων.

quanti autem pretii est disertum Claudiani testimonium loco Vergiliano egregie stabilitum. absque illo enim vix divinaremus catasterismum Cycni a Nonno Ovidio Luciano Sulpicio plane omissum. inter quos unus Ovidius transformationem saltem Cycni narrat absurde significatam a Philostrato hoc modo: *Ἠριδανῷ ἐμπεσεῖται καὶ παρέξει μῦθόν τινα τῷ ὕδατι· κύκνοι γὰρ δὴ ἀναφυσῶντες ἡδὺ τὸ ἐντεῦθεν καὶ ποιήσονται ᾠδὴν τὸ μειράκιον, ἀγέλαι τε αὐτῶν ἀρθεῖσαι Καΰστρῳ ταῦτα καὶ Ἴστρῳ ᾄσονται καὶ οὐδὲν ἀνήκοον ἔσται τοῦ τοιούτου λόγου, Ζεφύρῳ τε χρήσονται πρὸς τὴν ᾠδὴν ἐλαφρῷ καὶ ἐνοδίῳ, λέγεται γὰρ ξυναυλίαν τοῦ θρήνου τοῖς κύκνοις ὁμολογῆσαι.* vix quidquam probi ex hac ariolatione elicueris.

e.

Qui Phaethontem Eridanum Circulum lacteum Cycnum in caelo monstravit, eum etiam Heliades Phaethontis sorores — nam Clymena in censum non venit — monstraturum nobis esse expectamus. neque fallit expectatio. Claudianus l. l. 172:

stat gelidis Auriga plagis, vestigia fratris
germanae servant Hyades.

Hyadum haud longe ab Auriga remotarum fabula scitissime ad Heliades translata est. *Ἄτλαντος γὰρ τοῦ Ἰαπετοῦ καὶ Αἴθρας τῆς Ὠκεανοῦ* (sentis cognationem Heliadum) *καθά φησι Μουσαῖος, θυγατέρες δώδεκα καὶ υἱὸς Ὕας. τοῦτον ἐν Λιβύῃ κυνηγετοῦντα ὄφις*[73]) *κτείνει· καὶ αἱ μὲν ε' τὸν ἀδελφὸν θρηνοῦσαι ἀπόλλυνται*

[73]) de bestia diversa apud scriptores diversos cf. Robert *Eratosth.* p. 13 s.

διὰ λύπην, ἃς δι' οἶκτον καταστερίσας ὁ Ζεὺς 'Υάδας ἐπωνόμασεν ἐπωνυμίᾳ τοῦ ἀδελφοῦ (schol. A Hom. Σ 486), quae fabula quam apte Heliadibus accommodari potuerit, tam perspicuum est, ut verbis parcere liceat. dissentit numerus Hyadum apud Musaeum ab Heliadibus. sed egregie monuit Wieselerus l. l. p. 13 a scholiasta Arati traditum esse (172) Euripidem in Phaethonte (fr. 780) tres tantum Hyades memorasse. Heliadum catasterismus cum alienissimus sit ab illo — quanquam inferre voluit Wieselerus — haud temere statuere mihi videor Alexandrinum poetam primum Heliades cum Hyadibus tribus Euripideis contaminasse, ut prorsus novam fabulam efficeret. at inquies idem Heliadum transformationem narraverat. nonne plane inficetum atque absurdum virgines in arbores mutatas sideribus inferre? sane, sed cum constet et de transformatione et de catasterismo, utrumque iuxta narravit. ergo ut fas erit conicere transformationi vel Hesiodo notae opposuit suam sententiam — *ἀλλά τις ὁπλοτέρη πέλεται φάτις* (Nonn. XLI 155) — non in arbores abiisse illas sed in sidera.[74]) qua ratione fabulam Hesiodeam cum doctrina astrothetica saeculi sui conciliare potuit. atque laudandus est quod sidera haud longo caeli intervallo inter se distantia coniunctim exposuit. ad Plaustrum tendit Auriga, Aurigae pedibus adiacent Hyades, quas in meridiem versus excipit Eridanus; unus Cycnus satis remotus est.

Catasterismis perlustratis superest ut levem diversitatem Claudianum inter et Nonnum paucis attingam. hic Iovem, ille Apollinem omnia luctus monumenta sui Olympo signantes facit. quae ita inter se concilianda esse puto, ut Iovem vel precibus Phoebi commotum vel in gratiam cum deo redeuntem catasterismorum auctorem fuisse statuamus.

Iam componemus quae de poeta, cuius epyllion summis lineamentis descripsimus, expiscati esse nobis videmur.

I. Alexandrinum fuisse vel catasterismi docte atque argute excogitati clamant. ab Aegyptiis, ne dicam Alexandrinis ortum esse lepidum de Trionibus inventum quasi digito videtur monstrare (cf. p. 61). qui tale finxit revera sidus evanescens ac paene

[74]) de hoc more poetarum Alexandrinorum cf. Meineke *Anal. Alex.* p. 70.

occidens observasse censendus est. at anno 300 nunquam occidit Ursa inde a 29°, latitudo vero, ut barbare loquar, Alexandriae est 31° 11'.[75])

II. Vixisse non solum post Phanoclem, cuius de Cycno sententiam impugnavit, sed etiam post Aratum, ex propriis siderum nominibus efficitur. *Ἡνίοχον* Arati Phaethontem, *Ὄρνιθα* translata fabula Phanoclea *Κύκνον* nominavit,[76]) quibus Circulum lacteum a Pythagoreis, Eridanum ab Arato desumptos, Hyades-Heliades de suo addidit.

III. Neque Hermippum, de quo constat, neque me quidem si audis Hegesianactem esse fuse demonstravimus: quaerendus igitur inter ceteros eosque nobiliores *φαινομένων* poetas.[77])

IV. Nobilem fuisse poetam imitatorum turba videtur clamare, quanquam non opus est statuere omnes carmen ipsum manibus trivisse. transiit enim in syntagmata mythographorum, de quibus proxima paragrapho dicetur.

---

[75]) Ursam paene occidentem illo tempore Alexandriae potuisse observari computatione meum in usum instituta docuit me Brunkius collega. ceterum ex versibus Ovidianis 195 sqq.:

est locus, in geminos ubi bracchia concavat arcus
Scorpius et cauda flexisque utrimque lacertis
porrigit in spatium signorum membra duorum

tempus poetae accuratius definire frustra desudavi. nam incertum est, quando signum Scorpii dividi coeptum sit; cf. Ideler *astronom. beobachtungen der alten* p. 373.

[76]) Hygin. II 8: *hunc* <olorem> *κύκνον Graeci appellant, quem complures* <Aratum (275) dicit> *propter ignotam illis historiam communi genere avium ὄρνιν adpellaverunt.*

[77]) vix puto Nonnum XXXVIII 391 <de Mercurio planeta>:

καί μιν, ὅτε δρόμον ἶσον ἔχων ἰσόμοιρος ὁδεύει,
Ἠελίου κραδίην ἐπεφήμισαν ἴδμονες ἄστρων

rationem habuisse nostri. sapit haec doctrina de Solis corde aetatem recentiorem, de qua cum frustra libros circumspexissem, tandem in Drechsleri lexico de astronomia conscripto haec repperi: *Cor Solis bezeichnet den raum um den mittelpunkt der sonnenscheibe, bis 19 bogenminuten von derselben entfernt* ... et alio loco: *bei widersprechenden stellungen* <planetarum> *trat das gewicht der einzelnen planeten u. s. w., die dignität, ein, je durch eine zahl angegeben und die stellung, welche die himmelskörper zu einander hatten, z. b. im herzen der sonne (bis 16 minuten von der sonne entfernt)* ... unde mihi quidem non dubium videtur esse, quin ex *sui* temporis ratione locutus sit Nonnus.

3.

Eminent inter imitatores poetae Alexandrini Ovidius et Nonnus. illius narrationem si recte explicuimus ex Euripide poeta nostro Phanocle conflatam esse constat.[78]) iam quaerimus ipsene hos tres adierit miscueritque an contaminatos ex fonte secundario petiverit. atque Euripidis tragoediam a Nasone lectam esse nego. vestigia imitationis perexigua deteximus. sane in fine libri primi tragici Phaethontem inter et Clymenam sermonis commonemur, neque Meropis deest mentio (763). sed in fabula ipsa per partes narranda plane reliquit tragicum, nisi quod semel obiter iniecit mentionem Meropis (II 184). nam Meropem e fabula plane remotum esse a poeta Alexandrino satis superque demonstravimus. itaque si ipsum Euripidem adhibuisset Ovidius, multo plura imitationis vestigia reperiremus, id quod vel una fabula Penthea comprobatur.[79])

Catasterismorum poetam lectum esse a Nasone Nonnus docet. at mirum videri possit, quod catasterismos ipsos scilicet summam poematis ne verbo quidem commemoravit. quanquam hic scrupulus facile tollitur, si fabulam quae est de Callisto Phaethonteae adnexam perlegeris. profecto haec sideralis neque catasterismum (in Ursam caelestem mutatur Callisto, in Arctophylacem puer Arcas) in fine narrationis memorare oblitus est poeta (II 527 ss. cf. 506 s.). iam vero recordanti tibi id maxime egisse illum, ut suavi rerum varietate animos legentium delectaret, ne similes fabulae nimis cumularentur, consulto omissos esse catasterismos apparebit.[80]) Phanoclem, ex quo Cycni mutatio petita est, num ipse legerit (quod mihi quidem parum probabile videtur esse) discerni nequit. neque multum refert; nam artificiosa trium poetarum contaminatione necessario adducimur, ut syntagma a nescio quo mytho-

---

[78]) Ovidium respicit Nemesian. Cyneg. 34 ss.

[79]) de qua monui *Anal. Alexandrino-Romana* p. 56 ss. de trist. III 4, 29 iam p. 24 dixi.

[80]) Phaethontis catasterismum nescio an tecte significare voluerit Amor. III 12, 35:

Protea quid referam Thebanaque semina dentes,
qui vomerent flammas ore fuisse boves,
flere genis electra tuas, auriga, sorores . . .

quod si ita est, commodae perspicuitatis causa **Auriga** scribendus est.

grapho conditum in Ovidii manibus fuisse statuamus. ille igitur quisquis fuit et Euripidis et catasterismorum poetae et Phanoclis commenta contaminavit. cui Ovidius ita adplicuisse se videtur, ut tenorem rerum ab illo confectum tanquam filum sequeretur, sed modo more suo longius exspatiaretur, modo colores plures ex poeta Alexandrino inferret. ita factum est, ut aliquotiens hiet narratio. Tethyn ex aedibus marinis ad excelsam Solis arcem rettulit (II 156), Phaethonti in diem currum petenti (ut est apud Euripidem) praecepta dat pater ac si in annum (ut est apud poetam Alexandrinum) petivisset.[81]) talia vero syntagmata in usu fuisse Romanorum decantatus ille libellus Parthenii docet, qui diversas fabularum conformationes non semel diligenter adnotat, Ovidii fuisse in manibus non solum lepido exemplo Robertus *(bild und lied* p. 231) probavit, sed etiam Callistus fabula ex Pseudoeratosthene i. e. scholiis Arateis hausta clamat. quodsi recte disputatum est, vide mihi quanti sit momenti ad artem Ovidianam aestimandam. auctores non solum suo usus iudicio secutus est, sed etiam quae parum sibi visa sunt quadrare in componendam fabulam veluti catasterismos plane omisit. transiisse vero fabulam Phaethonteam in tale enchiridium — ut taceam de Hygino — comprobari potest e scholio Hom. ϱ 208: *ἱστορία. Ἥλιος Ῥόδῃ μιχθεὶς τῇ Ἀσωποῦ | παῖδας ἴσχει Φαέθοντα καὶ Λαμπετίην καὶ Αἴγλην καὶ Φαέθουσαν. | ἀνδρωθεὶς δὲ ὁ Φαέθων ἤρετο τὴν μητέρα τίνος εἴη πατρός· πυθόμενος δὲ ὡς Ἡλίου παρεγένετο ἐπὶ τὰς τοῦ πατρὸς ἀνατολάς. γνωρισθεὶς δὲ οὕτως ἐδεῖτο τοῦ πατρὸς ἐπ' ὀλίγον αὐτῷ συγχωρῆσαι τὸ ἅρμα καὶ τοὺς ῥυτῆρας, ‖ ὅπως κατοπτεύσειε τὸν κόσμον. ὁ δὲ Ἥλιος ἀκούσας παραυτὰ*

[81]) recte Mayerus p. 137 de conexu diluvii Deucalionei incendiique Phaethontei: *diese elende combination der beiden mythen lag in den fabelsammlungen auch dem Ovid vor, nur dass er sie nicht benutzte und* **demjenigen fabelbuch,** *wo die flut an Lykaon angeknüpft war, den vorzug gab. er verrät nämlich seine kenntnis in beiden fällen, indem er bei dem frevel des Lykaon Met. I 255 den Zeus mit dem blitz zurückhalten lässt,* **damit nicht die welt in flammen geriete** *(eine folge, die der blitz des Zeus sonst nie und nirgends in der mythologie hat) und indem er da, wo er die Phaethonerzählung beendet* <?> (II 309), *andeutet, weshalb er nun nicht die flut folgen lässt.* Roberti igitur de his versibus coniectura (cf. adn. 46) concidit.

μὲν ἀντέλεγεν εἰδὼς ἃ πείσεται, σφόδρα δὲ αὐτῷ ἐγκειμένῳ συγχωρεῖ διδάξας τὸ μεταίχμιον. ‖ *ἐπιβὰς δὲ ἐκεῖνος τοῦ ἅρματος ἀτάκτως ἐφέρετο, ὥστε πάντα τὰ ἐπὶ τῆς γῆς φρύγειν. καὶ δὴ τῆς ἀφροσύνης ἐπισχεῖν αὐτὸν κεραυνῷ τὸν Δία.*[82]) *καταπεσόντος δὲ αὐτοῦ μετὰ τῆς θείας φλογὸς ἐπὶ τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν καὶ φθαρέντος αἱ ἀδελφαὶ παραγενόμεναι κατὰ τὸν τόπον τοῦ Κελτικοῦ πελάγους ἐθρήνουν ἡμέρας ἀδιαλείπτως καὶ νυκτός, ὅθεν κατελεήσας ὁ Ζεὺς ταύταις ἀνάμνησιν* (*ἀμνησίαν* ci. Buttmannus) *ἐνεποίησε τῶν κακῶν μεταβάλλων αὐτὰς εἰς αἰγείρους* [*αἵπερ εἰσὶ δένδρα*]. *λέγεται δὲ καὶ ἐντεῦθεν ἀπογεννᾶσθαι τὸν ἤλεκτρον τῆς ἀρχαίας οἰμωγῆς ἀποδακρύοντα* (?) *τοῦτον καρπὸν ἀπὸ τοῦ δένδρου. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ τοῖς τραγικοῖς.* Nauckius FTG. p. 18 *ἱστορίαν* dubitanter ad Aeschyli Heliades rettulit; at hoc missum faciendum. atque omnino parum fidei tribuendum esse verbis *ἡ δὲ ἱστορία παρὰ τοῖς τραγικοῖς* post ea quae E. Schwartzius de scholiis Homericis ad historiam fabularem pertinentibus disputavit, facile concesseris. immo e diversis poetis conflata est. Rhode Solis uxor Aeschylum sapit,[83]) Phaethontis de patre dubitationes ex Euripide promanarunt, consilium caeli visendi Phoebi praecepta alia (fortasse etiam Heliadum transformatio, etiamsi ex Hesiodo Aeschylove desumpta esse potest) poetae Alexandrino debet; Cycni mutatio catasterismi nescio an excerptoris culpa omissa sint. ex his igitur missis rebus parum inter se congruentibus continuam narrationem efficere studuit mythographus.[84]) eodem fere modo rem institutam esse censeo ab eo, qui copias

---

[82]) congruit cum his Dio Chrysost. or. 36 (II 92 R.) . . . *διό φασι νεώτερον ἡνίοχον Ἡλίου παῖδα θνητὸν ἐπιθυμήσαντα χαλεπῆς καὶ ἀσυμφόρου πᾶσι τοῖς θνητοῖς παιδιᾶς αἰτησάμενον παρὰ τοῦ πατρὸς ἐπιστῆναι τῷ δίφρῳ, φερόμενόν τε ἀτάκτως πάντα καταφλέξαι ζῷα καὶ φυτὰ καὶ τέλος αὐτὸν διαφθαρῆναι πληγέντα ὑπὸ τοῦ κρείττονος πυρός*, ut ex simili illum hausisse fonte adfirmaverim, id quod diluvii Deucalionei mentione in sequentibus subindicata videtur comprobari.

[83]) Rhoden Solis uxorem Ovidius quoque novit Met. IV 204 (Solis amores enumerantur):

nec te Clymeneque Rhodosque
nec tenet Aeaeae genetrix pulcherrima Circes.

Perse Circes mater ex Hesiod. theog. 956 sq. petita est.

[84]) *μεταίχμιον* vox tragica poetam sapit.

fabularum Nasoni suppeditavit. denique quaerendum est, quos auctores secutus sit Timaeus apud Diodor. V 23 (cf. Polyb. II 16, 13) *περὶ δὲ τούτου* (sucinum dicit) *πολλοὶ τῶν παλαιῶν ἀνέγραψαν μύθους παντελῶς ἀπιστουμένους καὶ διὰ τῶν ἀποτελεσμάτων ἐλεγχομένους. πολλοὶ γὰρ τῶν τε ποιητῶν καὶ τῶν συγγραφέων φασὶ Φαέθοντα τὸν Ἡλίου μὲν υἱόν, παῖδα δὲ τὴν ἡλικίαν ὄντα, πεῖσαι τὸν πατέρα μίαν ἡμέραν παραχωρῆσαι τοῦ τεθρίππου· συγχωρηθέντος δὲ αὐτῷ τούτου τὸν μὲν Φαέθοντα ἐλαύνοντα τὸ τέθριππον μὴ δύνασθαι κρατεῖν τῶν ἡνιῶν, τοὺς δ' ἵππους καταφρονήσαντας τοῦ παιδὸς ἐξενεχθῆναι τοῦ συνήθους δρόμου καὶ τὸ μὲν πρῶτον κατὰ τὸν οὐρανὸν πλανωμένους ἐκπυρῶσαι τοῦτον καὶ ποιῆσαι τὸν νῦν γαλαξίαν καλούμενον κύκλον, μετὰ δὲ ταῦτα πολλὴν τῆς οἰκουμένης ἐπιφλέξαντας οὐκ ὀλίγην κατακάειν χώραν. διὸ καὶ τοῦ Διὸς ἀγανακτήσαντος ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις κεραυνῶσαι μὲν τὸν Φαέθοντα, ἀποκαταστῆσαι δὲ τὸν ἥλιον ἐπὶ τὴν συνήθη πορείαν. τοῦ δὲ Φαέθοντος πεσόντος πρὸς τὰς ἐκβολὰς τοῦ νῦν Πάδου καλουμένου ποταμοῦ, τὸ δὲ παλαιὸν Ἠριδανοῦ προσαγορευομένου θρηνῆσαι μὲν τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ τὴν τελευτὴν φιλοτιμότατα, διὰ δὲ τὴν ὑπερβολὴν τῆς λύπης [ὑπὸ τῆς φύσεως] μετασχηματισθῆναι τὴν φύσιν γενομένας αἰγείρους. ταύτας δὲ κατ' ἐνιαυτὸν κατὰ τὴν αὐτὴν ὥραν δάκρυον ἀφιέναι καὶ τοῦτο πηγνύμενον ἀποτελεῖν τὸ καλούμενον ἤλεκτρον . . .*[85]) narratio summi esset momenti, si aliquot saltem poetas historicosque nominasset sive Timaeus sive pedisequa eius Diodorus, e quibus esset conflata. ut nunc se habet, parum lucri praebet, nisi quod diversas fabulae conformationes ita contaminatas esse agnoscimus, ut continua efficeretur narratio. idem effecisse enchiridii auctorem, cuius ope usus esset Ovidius, supra docuimus. mentionem vero circuli lactei, cuius originem paucis tetigit Diodorus, ne a catasterismorum poeta profectam esse temere quis coniciat, iterum moneo Aristotele teste iam Pythagoreos operam dedisse, ut ex incendio Phaethonteo originem illius repeterent. prorsus igitur obscurum, cui illud debeat Timaeus. iam si quis quaesiverit, quemnam ex parte sequi potuerit, cum

[85]) Etym. M. 427, 21 post fabulam Phaethonteam narratam additum est *ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Διοδώρῳ.* sunt tamen quae grammaticus apud historicum invenire non potuit, veluti rationalistae inventum Phaethontem *ἐκπεσεῖν ἐκ τοῦ δίφρου καὶ πεσόντα ἐπὶ τὴν γῆν τελευτῆσαι* (cf. adn. 20).

de Euripide cogitari non liceat, Aeschylus vix in censum veniat, Hesiodus videtur superesse. cuius vestigia in descriptione incendii et caelestis et terrestris remansisse si statuis, equidem non refragabor.

4.

Manca foret disputatio nostra, si sarcophagos quibus insculpta est fabula Phaethontea omitterem. de quibus ut aliquanto copiosius disputare possem, Roberti benevolentia factum est, qui omnes meum in usum accuratissime descriptos depictosque comiter transmisit. cui viro doctissimo vel hoc loco gratias ago summas.

Secernendi sunt sarcophagi tertii post Christum natum saeculi ab eis qui secundo exsculpti sunt saeculo: hos solos ad exemplar sat antiquum redire, illos multis figuris auctos minimi esse pretii apparebit. prioris ordinis adfero quattuor: Ostiensem (*A. annali dell' instituto* 1869 p. 130 ss. tab. F. ed. Wieseler; cf. Matz *eph. arch.* 1870 p. 113) Florentinum (*B.* Wieseler *Phaethon* n°. 5) Blundellianum (*C.* Michaelis *ancient marbles* n°. 221. p. 374. cf. Robert *deutsche litteraturztg.* 1884 sp. 283) fragmentum Vaticanum (*D.* Wieseler n°. 3). ex his Ostiensis est tripartitus, bipartitus Florentinus, reliqui nihil nisi precantem Phaethontem patrem matrem repraesentant. Ostiensis ita a sculptore dispertitus est, ut tanquam tres fabulae partes evadant: spectamus enim — ut a sinistra ordiar — Solem a quattuor Horis cinctum, quem ut currus sibi potestatem faciat regendi adulescentulus obsecrat. sequuntur quattuor viri ingentes equorum caelestium domitores dicto Solis audientes. mediam partem explet Phaethon lapsus, cuius supra pedes in caelum erectos et sinistrorsus prope equos turbatos et dextrorsus equitant Dioscuri. infra Dioscurum sinistrum sedet Parca volumen fatale evolutum manibus tenens, cui praecedit Cycnus senex baculo innisus; nam Cycnum esse docet olor haud procul a capite Phaethontis stans, futurae mutationis omen. dextra sedet Eridanus. post quem sequuntur Heliades lugentes Roberto iudice huc translatae, ut figuris in sinistro angulo exaequarentur, denique Sol maestus Caelo insidens[86]) dextram genu

[86]) Caelus iuvenis sedens repraesentatus est, qui rotam tenet, cui in-

innixus. adloquitur eum iuvenis manu porrecta, post tergum dei eminet puella, quae sermoni videtur aures praebere. — sarcophagi Florentini utrumque angulum singulae occupant Horae, Phaethon iuvenis atque Sol, quem obtestatur ille, proxime absunt ab Hora dextra, iuxta sinistram apparent Heliades in arborum nescio quam speciem se convertentes, prope illas alter Dioscurus, equi cum curru Phaethontis, quem excipit Eridanus; a dextra supra caput lapsi adstat Cycnus senex maerens, a laeva olor repraesentatus est infra equos Solis; denique prope Cycnum artifex montis deum spectatorem addidit. — nil nisi rogantem Phaethontem exhibent Blundellianus et fragmentum Vaticanum: illic Horae sunt Sol Luna equi Solis cum ministris; infra parentes divinos olim supplex stabat Phaethon incuria hominum nunc praefractus. parum differt *D*, operculi fragmentum ab utraque parte mutilatum, in quo desunt Horae, repraesentati sunt Luna (?), quae puerum supplicem patri admovet, Phaethon parvulus dextra genam patris tangens, Sol radiis coronatus solioque insidens; dextrorsum progreditur minister Solis clavam manu gerens, cui fractum est femur laevum. ceteros tres qui extant in sarcophago Ostiensi cogitatione nullo negotio suppleveris in Vaticano.

Iam placet gradum sistere, ut consilium artificis, qui exemplar sarcophagorum quattuor confecit, sciscitemur auctoremque quem in fabula repraesentanda potissimum sit secutus (quantum fieri licet) definiamus. atque recte statuisse mihi videtur Robertus a prima origine duas tantum fuisse fabulae partes, quas commodi causa Rogationem (α) et Mortem (β) appellabo. Nuntium

---

sidet Sol. de eo qui rotam tenet multa eaque incredibilia excogitaverunt viri docti, quos redarguere non opus est, postquam Matzius conlato simili sarcophagi fragmento — in cavo aedium episcopi Portensis olim adservabatur (*bullet.* 1869 p. 67) — Caelum verissime cognovit. usitatior est Caelus indutus pallio supra caput sinuato et sic in sarcophago Portensi repraesentatus est. *rota* commonefacit Ovidii 70 sq.:

> *adde quod adsidua rapitur vertigine caelum*
> *sideraque alta trahit celerique volumine torquet*
> . . . . . . *poterisne rotatis*
> *obvius ire polis?*

cf. Purgold *arch. bemerk. zu Claudian u. Sidonius* p. 57 n. 1. de Caeli imaginibus disputavit O. Iahn *ber. d. sächs. gesellsch. der wiss.* 1849 p. 63 sqq.

(γ) is addidit qui sarcophagum Ostiensem exsculpsit. nuntius Soli *ὅς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει* adlatus sat mirus videri possit; at memineris deum, qui currum filio dederit, neque versari in caelo neque lapsum spectare posse. itaque commodae perspicuitatis causa nuntius adiectus est, scilicet ut et spectantibus argumentum fabulae primo obtutu illustraretur et ectypo tripartito ordo rerum plane exaequaretur. nuntium igitur, utpote qui ad rem ipsam fabulosam non spectet, missum faciamus. restant Rogatio et Mors Phaethontis, quarum illa, cum desit Clymena adiutrix (cf. p. 24), differt a poeta Alexandrino. atque omnino nec volam nec vestigium carminis illius a nobis reconcinnati deprehenderis, nam catasterismi, quos summam fuisse satis nobis videmur demonstrasse, omnino desunt.[87]) quae cum ita sint, Euripideam fabulam expressam esse forsitan quis crediderit. quam vellem esse expressam, sed quominus hoc credam, obstant Heliades Cycnus Eridanus ne memorati quidem ab Euripide. ergo reliquum est, ut argumentum e tali fere syntagmate, quali usum esse Ovidium diximus, fluxisse statuamus. quisquis fuit qui syntagma illud in usum artificis composuit, res Phaethonteas cum transformationibus Heliadum Cycnique apte quidem coniunxit, sed ita coniunxit, ut quod proprium fuisset et tragico poetae — immutationem dico totius fabulae audacissime institutam — et Alexandrino — cata-

---

[87]) Dioscuri tanquam dei mortis saepissime in sarcophagis Romanis repraesentati sunt (cf. M. Albert *le culte de Castor et Pollux en Italie* Paris 1883 cap. IX). quibus locum caeli a Phaethonte *Auriga* expletum subindicatum esse duce Arato 160 s.:

> *αὐτὸν μέν μιν ἅπαντα μέγαν Διδύμων ἐπὶ λαιὰ*
> *κεκλιμένον δήεις*

nimis artificiose, sed non prorsus temere olim conieci. nam futuram adulescentis in caelo positionem nummus designat apud Wieselerum (n. 12), in quo supra currum Solis stella repraesentata est Geminorum sideri propinqua; in parte postica Phaethon conspicitur curru excussus. atque consulto artifex, cum orbem duodecim signorum sculperet, summum locum Geminis tribuit. qui nummus magni foret momenti, si constaret num omnino antiquus esset. sed tacent et Eckhelius et Mionnetius. publici iuris factus est in libro qui inscribitur *Catalog. d'une Collect. de Méd. ant. faite par la Cesse Douaire. de Bentinck, sec. Part.*, Amsterd. MDCCLXXXVII p. 1009 (Wieseler p. 18), cuius in originem ut inquiratur exoptandum est.

sterismos dico — plane deleret. fabularum ut ita dicam in unum corpus coactarum tenue mihi legere videor argumentum, cum sarcophagos oculis conlustro. sed restant nonnulla, quae vel explicatione vel saltem mentione indigent. nihil dico et de iuvene necis Phaethonteae nuntio et de puella auscultante *(A)* — hos enim memorasse sat erit; aliquanto maioris sunt momenti Horae solium dei cingentes *(A)*, quippe quae eodem modo et ab Ovidio describantur et a Nonno carminis Alexandrini sectatoribus; sed maxime digni sunt in quos accuratissime inquiratur ministri Solis dicto audientes *(A* cf. *CD)* et dea Phaethontem supplicem patri admovens *(CD)*. illis quae nomina imponenda sint prorsus nescio neque de dea falce lunari insignita mihi constat, at memineris velim Phaethontis-Absyrti matrem esse Asterodiam (i. e. Lunam); itaque facile quis de Luna scilicet ex vetustiore fabulae forma per nescio quos rivulos in syntagma illud deducta cogitaverit. de qua num recte cogitaverit diiudicare non ausim.

Ex monumentis secundi p. Chr. saeculi pendent omnes sarcophagi tertii saeculi. continent et α (Rogationem) et β (Mortem), ita tamen, ut α tanquam levioris momenti in alterum angulum coercita plurimum spatium occupet β. accedunt ex α Horae in utramque sarcophagi partem dispertitae, porro iuvenis — de puella auscultante non item constat — necis nuntius Phaethontis lapsi adest spectator, denique pro tertii saeculi genio multae adiciuntur personae. sarcophagos adfero sex, quorum tres (Borghesiani duo *[EF]* et Parisinus *[G]*) α in sinistro, tres (Veronensis *[H]* a sinistra parte mutilus, Romanus *[I]*, qui nunc Peterhofii asservatur utrimque truncatus, Nepensis *[K]*) in dextro angulo supremo exhibent.[88]) verbis ut parcam, prioris Borghesiani, quem meum in usum descripsit Robertus, hunc propono conspectum:

[88]) *E* edidit Winckelmannus *monum. ined.* 43, alterius Borghesiani *(F)* tabula photographi arte delineata a Roberto transmissa uti mihi licuit, *GHI* apud Wieselerum invenies, *K* descripsit Robertus.

α.

Ventus Dioscurus
Sol Phaethon Phosphorus
Heliades iuvenis spectator Cycnus

β.

Dioscurus Ventus Caelus
Phaethon Ceraunus (?) Hesperus
Eridanus deus montis
Iuppiter Hora
Thalassa Tellus cum quattuor puerulis

plane consentiunt Borghesianus alter (nisi quod Hesperus praefractus est) et Parisinus. Horam cum Iove coniunctam — redit in sarcophagis s. III alterius ordinis — eam esse, quae portas caeli et aperiat et claudat, apte Robertus monet. puerum alatum, qui dextra facem tenet, volantem praeter Phaethontem nescio quis Roberti discipulus Ceraunum nominavit.

Sarcophagorum alterius ordinis conspectus hic est:

H: β. | α.

Ventus Solis minister Ventus Ventus | Autumnus Sol Ver
Phaethon Phosphorus Aestas Iuno Iuppiter | Phaethon
Ceraunus | Hiems
Helias Eridanus Heliades II | Tellus

I: Solis minister Ventus Solis minister Hora | α.
Dioscurus Dioscurus | deest
Aurora? | (cf. p. 74)
Phaethon Hora
puella, adulescens (spectatores) Heliades II Cycnus Helias Eridanus

K: Dioscuri | α.
Phaethon Aurora Ventus Ventus | Aestas Sol Ver
montis deus Autumnus Iuppiter | Phaethon
puella, adulescens (spectatores) Heliades II Cycnus Eridanus Helias | Hiems Caelus
| Oceanus Tellus

de quibus haec paucula adnotanda videntur. Solis ministri *(HI)* ex *α* qualis est in sarcophagis secundi saeculi parum apte huc translati sunt. idem ut supra monui valet de puella et adulescente spectatoribus *(IK)*. neque quidquam iuvamur eis, quae sculptores III s. addiderunt: Tellus quidem adparet, sed longe alio habitu, qualem depinxisse poetam Alexandrinum statuimus. ceteri in censum vix veniunt — quanquam Iovem *(H)* comparari licet cum Iove Ovidiano — exceptis Phosphoro Hesperoque, quorum illum comitem Phaethontis commemorat Nonnus (332). sed tanti non est, ut de fonte sculptori poetaeque communi cogitaveris. utrumque addidisse videtur artifex, ut cursum adulescentis una die confectum significaret.[89])

Ex sarcophagis igitur ad hoc tempus notis novi nihil nobis addiscendum esse mihi quidem persuasum est. supersunt ectypa a I. Chr. Iahnio *neue jahrb. für philol. und pädagog.* V (1835) 434 in hunc modum descripta (cf. Wieseler *Phaethon* p. 36): *in der gegend des parkes von Chantilly, welcher la cumbière heisst, hat man zwei steinplatten mit antiken basreliefs gefunden, die sich beide auf die Phaethonfabel beziehen: auf dem ersten steht Phaethon auf dem sonnenwagen, die Horen halten die gekoppelten pferde, ein greis* (?) *mit langem barte sitzt hinten auf dem wagen und scheint dem tollkühnen jüngling anweisungen zu geben, und Aurora neigt sich vom hohen himmel herab und betrachtet Phaethon mit wehmütigen blicken. weiterhin trägt ein sklave früchte und eine amphora, wahrscheinlich um den göttern ein opfer zu bringen. das zweite stellt den sturz des Phaethon dar, ist aber sehr beschädigt. beide befinden sich jetzt auf dem schlosse in Chantilly.*[90]) haec tantum non concinunt cum Phaethonte Euripideo eoque magis dolendum est de illis ectypis nihil amplius esse compertum. quae aliquando denuo repertum diligenterque descriptum iri speramus.

---

[89]) *K* in sinistro latere augusto exhibet Solem cum curru exorientem, cui a dextra adstat Caelus rotam tenens, in dextro latere angusto Lunam occidentem.

[90]) sarcophagum qui Tortonae repertus est — continet Phaethontem lapsum pastorem spectatorem — nullius esse momenti Robertus certiorem me fecit.

Tenuior hic fasciculus in lucem progreditur quam credideramus tum cum praeparavimus. Wilamowitzius enim, qui cum alia mythographica tum commentarium de septem ducum Thebanorum corporibus sepultura prohibitis scriptum additurus erat, certiorem me fecit se aliis curis, quarum rationes proximus fasciculus reddet, occupatum haec in praesentia seposuisse. idem Phaethontea sua cum ab aliorum tum a Fr. Blassii (*de Phaethontis Euripideae fragmentis Claromontanis,* Kiliae 1885) criminationibus defensurus erat, quod quamlibet paucis fieri posse adseverat, tamen de rebus satis dilucide ut illi quidem videtur expositis noluit digladiari. quippe neque quidquam esse adlatum quod ad rei summam faciat momentum (quocirca absoluta commentatione nostra Blassii fragmentorum Euripideorum supplementa consulto negleximus) neque quae ipse fortasse haberet nova adhuc satis esse maturata, ut sibi ipsi luce iam viderentur digna. quorum vice fungantur nostrae *quaestiones Phaethonteae* opusculum haud inutile ut speramus, quod tantum abest ut perfectum absolutumque esse credamus, ut viris doctioribus et amplificandum et emendandum impense commendemus.

Addenda.

ad p. 10. addere poteram Eridanum fluvium Atticum ne a mythographis quidem neglectum: Hygin. fab. 14 (cf. Wilamowitz *comm. gramm.* II 12), Plato Crit. 112a, Strabo IX 397 (ex Apollodoro), Paus. I 19, 5. de hoc et de Iliso fuse nuper disputavit C. Wachsmuth Mus. Rhen. XL 469 sqq.

Heliadum trium nomina etiam Heraclides qui dicitur de incredibilibus 36 (p. 319 Westermanni *mythographorum*) commemorat: *ὀνόματα* [*ὄνομα* libri] *δὲ αὐταῖς Φοίβη Λαμπετώ* (sic) *Αἴγλη*.

ad p. 12. de *αἰγείρῳ* adde Porphyr. in Stob. flor. 105, 57: *ἥ τε γὰρ αἴγειρος, ὥς φασιν ἄλλοι τε καὶ Πλούταρχος, φιλοπενθὴς καὶ ἀτελὴς πρὸς καρπογονίαν.* sequitur Terei Sophoclei fragmentum.

ad p. 52. de cognatis fabulis vernaculis certiorem me fecit U. Iahn collega, quas hoc loco subiungere placet: 1. *Hackelberg und die Milchstrafse. Einst ist er so hoch geritten, dafs er den himmel berührte und hat dort einen ganzen streifen so zugerichtet, dafs er noch heutigen tages wohl zu erkennen ist. er sieht ganz weifsgrau aus und wird daher die Melkstrât (in Pommern Wildbân) genannt.* 2. *Der Wuid fährt mit seinem wagen hoch oben in der luft. ein mal ist er dabei so unvorsichtig gewesen, dafs der feurige wagen das himmelsgewölbe berührte und einen grofsen streifen davon ansengte. weil derselbe in folge dessen eine weifsgraue farbe bekommen hat, nennen ihn heutigen tages die leute die Milchstrafse.* (U. Iahn *volkssagen aus Pommern und Rügen*, Stettin 1885 p. 9 et 25).

ad p. 55. Hippolytum ab inferis revocatum esse ab Aesculapio iam carminis Naupactii poeta dixit. locos composuit R. Münzel *quaestiones mythographae* (Berolini 1883) p. 3 sq.

ad p. 56. Bellerophontem Aurigam videtur significare Manilius V 97 sqq.:

hoc genitum credas de sidere (Auriga) *Bellerophontem*
imposuisse viam mundo per signa volantem,
cui caelum campus fuerat terraeque fretumque
sub pedibus: non ulla tulit vestigia cursor.
his (Salmonei et Bellerophontis) *erit Heniochi surgens*
tibi forma notanda.

ad p. 57. Ischenum gigantem Taraxippum novit Lycophr. 42 s.:

Κρόνου παρ' αἰπὺν ὄχθον, ἔνθα γηγενοῦς
ἵππων ταρακτὴς ἐστιν Ἰσχένου τάφος,

cum scholio: *Ἴσχενος γίγας ἐγένετο Ἑρμοῦ καὶ Ἱερείας· τούτου δὲ υἱὸς Ἴσχενος οὗ μνῆμα δείκνυται παρὰ τὸν καλούμενον Κρόνιον λόφον· καλοῦσι δὲ αὐτὸν Ταράξιππον, ἐπειδὴ οἱ ἀγωνιζόμενοι ἵπποι, ὅταν γένωνται ἐκεῖσε κατὰ τὸ μνῆμα, ταράσσονται. ἄλλοι δέ φασι δάφνην εἶναι καὶ σειομένης αὐτῆς τῇ σκιᾷ τῶν φύλλων ταράσσεσθαι τοὺς ἵππους.*

Index.

Index capitum.